Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/iviparsrompt4thru6bois

CARDINALIS MARCA
hoc monumentum,
quod hic loco Tituli
ponitur, Leodij in cho=
ro S. Lamperti ex
orichalto deau=
rato ſibi
P. C.
IIII. PARS
ANTIQUITATUM ROMANARUM
Siue II. Tomus,
Inſcriptionum & Monumentorum, quæ
Romæ in ſaxis & marmoribus viſuntur
Autore
I. I. Boiſsardo Veſuntino omnia ſtudioſe
conquiſita & excepta,
Artifice uero
Theodoro de Bry Leod. recens in ære efficta, et
foras data, Francf. Anno M.D.IIC.

IN EFFIGIEM

# IANI IACOBI BOISSARDI VE-SVNTINI, PETRVS LEPIDVS METENSIS, REgiorum negotiorum ſummus Procurator apud Mediomatrices, Virdunenſes, & Tullianos.

*HOſpes, qui vagus in ſcientiarum*
*Hortis expatiaris, vt Mineruæ*
*Doctas ingenium excolas per artes;*
*Quem tu conſpicis heic breui tabella*



Expreſ-

*Expreſſum Bryii arte penicilli,*
*Ille eſt Sequanici ad Dubis fluenta*
*Boiſſardo genitus parente vates,*
*Phœbo & Caſtaliis Deis amatus.*
*Ille eſt qui facili ſtylo & colore*
*Vrbes OEnotriæ, & ſitus locorum,*
*Portus, valla, pharos, lacus, cauernas,*
*Montes & fluuios ſcaturientes,*
*Diuerſosque habitus manu erudita*
*Deſcripſit, ſtatuasque, imaginesque,*
*Et priſci monumenta cuncta ſæcli,*
*Impenſisque laboribusque magnis,*
*Publicam vtilitatem vt adiuuaret,*
*Solers edidit artifex, typisque*
*AEuiterni operis Theodorici*
*Libro hoc propoſuit tibi intuenda.*
*Tu de te meritis bene has repende*
*Grates, vt ſtudium vtriusque vultu*
*Sereno excipias, probesque. Virtus*
*Illorum expedit vnicum hoc, nec vltra.*

IN EFFI-

IN EFFIGIEM
# THEODORI DE BRY LEODIEN. SCVLPTORIS PRÆSTANtiſſimi.

TEVC. ANNÆI PRIVATI C.

*Carmen.*




*Si prior eſt ætas mirata, toreumata cœli*
PHIDIACI, *doctaſque manus celebreſque labores*
ZEVXIDIS, *aut ſi quos dederit diuinus* APELLES.
*Ecquid erit noſtris ſua gratia caſſa Magiſtris!*
*Quos nec ab ingenio, ſeclum hoc, nec ab arte minores*
*Protulit, aut labor ad meritos euexit honores.*

*Aſpice quam præſens* THEODORI *induſtria multos*
*Exuperet, palmamque vſu præuertat & arte;*
*Dum* Podagræ *nodis tophisque innexus inultæ*
*Tot monumenta parat magnum celebranda per orbem,*
*Iamque ſenex plane, ſibi tot vernantibus auſis*
*Immortale facit nomen, ſeque abdicat vmbris.*
Ille & *inacceſſas Nabathæa per æquora gentes,*
*Atque alio penitus terras ſub ſole iacentes*
*Expreſſit ſcalpro, moreſque habituſque* DEOSQVE
*Informes, nudas gentes & prælia cruda,*
*Arte noua effinxit, ſigniſque inſcripſit ahenis.*
Ille Getasque Scythasque *truces; Regeſque Duceſque*
Pannonios, *ſtructasque acies & ſceptra* RODVLPHI
Cæſaris, *Auſtraſiæque Duces, magnoſque penates*
*Magnifico inſculpſit operi inſignique labori.*
*Ille tot aratis* Emblemata *publica ſignis*
*Protulit, ingenuos formans in imagine mores,*
*Erudiensque animos deſcriptis ære ſiguris.*
*Iamque recens adeo, quo non præclarius vllum*
*Extat opus, ſtudio nocturno, operaque diurna*
*Confectum, artificiſque impenſa & ſumptibus amplis*
*Exactum, quo ſe ter maxima* ROMA *ſtupendam*
*Exhibet, atque nouis iterum Natalibus exit.*
*Nec ſeſe formis ſeptem pulcherrima* ROMA
*Iactarit, quantum monumentis vndique priſcis*
*Fulſerit, antiquis paſſim celebrata Coloſſis,*
*Thermis, magnificis Regionibus, Amphitheatris.*
*Omnia quæ medios inter nunc publica ſoles*
*Edita, & artificem* THEODORVM *ſculpta fatentur.*
*At tibi digna tuo quænam* Boiſſarde *labore*
*Præmia Dii dederint merito? qui cuncta perita*
*Ipſe manu præſcripta notas & præcipis Autor.*
*Non tua lethæis mergetur fama ſub vndis,*
*Orbis & Vrbis opus totus mirabitur iſtud,*
*Par quod amicorum* Boiſſardus *& ille* Bryæus
*In medium ſocio modo propoſuere labore;*
*Ambo ſenes ſeptem numerantes luſtra ſenectæ,*
*Ambo nodoſa diſtorti membra podagra.*
*Viuito ſorte noua ter florentiſſima* ROMA,
*Cumque tuo felix operum* Boiſſarde Bryæo,
*Pro tantis meritis Superos ſperate fauentes.*
*Pergite in Exemplum ſeros ornare Nepotes,*
*Nomen & æterna de poſteritate mereri.*
*Ecquid in Exemplum laus hæc referenda probandum*
*Nimirum ſtudii tantum, tantumque operarum*
*Decrepitos potuiſſe ſenes tolerare? quid obſtat*
*Vt ſimili ſe laude ferant de more minores.*
*Hæc igitur præſens, quam cernis amice, tabella*
*Effigiem illius* THEODORI *cominus offert:*
*Tu grates illi pro exhauſto ſolue labore,*
*Illius vtque opera quoque deinde fruare, ſenectam*
*Sculptori vegetam lætamque precare benignus.*
*Tum ſi fata diem component ſera ſupremum,*
*Vt menſis Diuum & iucundo Nectare viuat,*
*AEternumque ferat poſt vltima funera Nomen.*

TOPO-

# ILLVSTRI AC GENEROSO VIRO HERMANNO A GHOER, BARONI *de Peſche, Domino Villartij, Andrimontij, Brohainæ, &c.*

IANVS IACOBVS BOISSARDVS VESVNTINVS.

ROMANAS Inſcriptiones ſtatim à principio viſum eſt, non temere in duos diſtribuere tomos: ne ſi vno comprehenderentur volumine, liber in nimiam euaderet craſſitudinem. Propterea quòd neceſſe ſit ſingula in vna folij pagina typis excudere, quòd præli impreſſionem charta non poſſit ferre duplicẽ. At cùm vterque tomus potuiſſet debuiſſetque coniungi, ac ſimul emitti in lucem, vtpote qui contineant monumenta vnius vrbis, placuit tamen Theodoro de Bry, Typographo vigilantiſſimo & ſolertiſſimo vtrumque ſeparatim publicare, vt ſumptus qui faciendi ſunt commodiùs tolerare, & ex libri primi venditione ad editionem ſecundi paratior & inſtructior venire poſſit. Eius conſilio & voluntati neutiquam volui refragari, ne vir bonus damnum aliquod ex officioſa beneuolentia, qua me complectitur, caperet. Opus ſanè aggreſſus eſt hoc volens, vtpote qui perpetuo, & indefatigabili deſiderio adiuuandi publicam vtilitatem feratur, & promouendi ſtudia eorum qui venerandæ Antiquitatis admirãtur reliquias, diuerſis in regionibus Europæ à priſcis ſæculis ſummo Dei beneficio relictas. In hac re grandes faciendæ ſunt impenſæ: & quæ facultates hominis opulenti requirant, præter tot annorum labores, quibus ſenex licet, alacris tamen reliquum tempus ætatis impendit. Is enim marmorum, quibus inſcriptiones antiquæ, quas olim collegi, continẽtur, figuras, tabulas, & epitaphia laminis cælauit aheneis, tànta induſtria, tam concinna picturæ delineatione, vt doctiſſimis quibuſque ars illius mirificè probetur, iucundaq; delectatione paſſim excipiatur. Et tantum laudis ipſi ſculptori, quantùm auctori tribuant

buant omnes bonarum artium ſectatores: cùm hac diligentia ſuum nomen ad poſteritatem cum celebri fama tranſmittat. Hæc egregiè geſtis meritò rependitur compenſatio, inuidia etiam non reſiſtente, vt inter bonos bonorum nomen & memoria ſtabiliatur & floreat. Et ideo qui ſapiunt, benè audire malunt quàm diteſcere. Quæ, obſecro, diuitiæ poſſunt cum bona fama conferri? Vita enim ingloria locupletum (quamuis abundè bona fortunæ accumulauerint, & felici poſſeſſione quæſitarum opum ſe beatos exiſtiment) morti non abſimilis iudicari debet: niſi ad poſteros aliquod teſtimonium relinquant benè ante actæ vitæ. Opes amittuntur cum vita, fama illuſtris virtute quæſita permanet æterna. Vera poſſeſſio virtus eſt, cuius laus omnis in actione conſiſtit. At hæc actio non ad ſe, ſed ad alios translata conſideratur, vt iuuet, & proſit, & proximi promoueat vtilitatem. Non nobis ipſis nati ſumus, ſed patriæ, cognatis, & amicis. Meritò igitur eos honoramus, qui ſe huic vitæ ita comparant, vt omnes eius partes primò ad pietatem, & Dei cultum conferant: deinde, quantùm fieri poteſt, hominibus commodent, & patriæ ſuam operam impendant, vnuſquiſque in ſuo ſtatu & conditione ad quam vocatus eſt. Cui plus gratiæ à Deo luminum collatum eſt, eius obligatio eſt maior. Talentum nobis commiſſum fideliter exercere iubemur: ne ingrati videamur, acceptoque à Deo beneficio indigni & iudicio obnoxij. Id ſeriò dum perpenderet Bryius, intelligatque non ſolùm tibi, ſed literatis omnibus primum librum harum inſcriptionum adprobari, operi feliciter inchoato ſecundam partem adijcit, quæ tibi dicatur, vir generoſe, tanquam illi cui labores mei conatuſque omnes conſecrari debent. Proſequar itaque in hoc volumine quæ ſuperſunt eodem ordine, quo in priori cœperam. Et recenſebo continua ſerie illa quæ videntur in Vrbe, tam priuatis quàm publicis in locis. Non quidem omnia (nam magno animi mei dolore pluſquàm dimidia pars mearum lucubrationum deploranda iactura perijt) Sed quæ ſingulari Diuinæ bonitatis fauore & beneficio erepta ſunt ex illo meorum librorum miſerando naufragio: ex quo vix emerſit breuis hæc portiuncula ſuperſtes, ex tam la-

borioſis & diutinis collectionibus, quas priùs in vnum congeſſeram: quibuſque olim totam fere iuuentam impenderam, longis terra marique peregrinationibus ſuſceptis. Quia tamen Deo Opt. Max. (ſine cuius prouidentia nihil in humana vita contingit) ita viſum eſt, vt ſine fructu tam longum ſtudium, & curæ vigiles euanuerint, quicquid mihi accidit ita expedire credo, damnumque irreparabile quod accepi, toleranter & patienter fero. Cùm potiſſimùm amiſſorum iacturam ex aliqua parte ſuppleant amicorum auxilia: qui diuerſis è locis ad me miſerunt plurima notatu digna, quæ ipſi obſeruarunt, & deſignarunt. Inter quos eſt Iulius Roſcius, ſanctæ Mariæ Tranſtyberinæ Canonicus vir doctus, antiquitatumq; ſtudioſiſſimus. Is mihi communicauit librum manuſcriptum, quo plurima continentur obſeruatione digniſſima: ſed quæ vt plurimùm ita ſunt tranſcripta, vt ijs certus locus non ſemper adſignetur, vt ſciri poſſit, qua in vrbis parte reperiantur. Excepta enim ſunt diuerſo tempore, & diuerſis in locis à varijs auctoribus, & in vnum volumen redacta ſine ordine: & pleraque non ſatis exactè correcta, vt fieri ſolet in marmoribus ſitu & iniuria temporum exeſis, mutilatis, & confractis. Norunt omnes, qui circa hæc ſtudia operam aliquam impenderunt, quàm difficilè ſit etiam expertiſſimo, ſenſum ſcriptionis in pleriſque elicere. Quæ Romæ ſunt, duobus his voluminibus complexus ſum, libro peculiari Deo dante, comprehendam nonnulla quæ in Italia, in ora Illyrici, in Stiria, Germania & Gallia collegi. Quibus etiam adiungam recentiorum aliquot literatorum, & illuſtrium virorum ſepulchra: vt Pontani, Decij, Actij, Dantis, Ficini, & aliorum, qui ſcriptis celebres vbique gentium habentur: Ex ijs non dubito, quin docti cum multo fructu ſingularem accepturi ſint delectationem. Quòd ſi mihi ſupereſſent cætera, quæ in hoc genere ſimul olim congeſſeram, potuiſſem ex his ſeparatim integrum volumen conficere. Tanta cura & diligentia exceperam omnia doctorum virorum monumenta, quæ Ticini, Patauij, Piſis, Senis, Florentiæ, Volaterris, Peruſij, Romæ, Neapoli, reliquiſque celebrioribus Italiæ vrbibus extant, vt nihil me obmiſiſſe ar-

bitrarer, quod doctis placiturum putarem. Sunt enim Itali, fueruntque ſemper, erga literatos homines ita affecti, vt eorum memoriam quibuſcunque poſſunt rationibus ad poſteritatem propagare ſtudeant. Potiſſimùm celebribus monumentis, in quibus præter exquiſita marmora, nullis ſumptibus parcunt, vt eiuſmodi ſepulchra manu operaque artificum illuſtrentur: certatimque id fit ab optimatibus, qui in rebus publicis primas obtinent partes. Vt in ſepulchris Marſilij Ficini, Ioti, Scalcialupi factum videmus Florentiæ, Piſis in Philippo Decio, & Mattheo Curtio. Quamuis Decium certum eſt, ſibi viuo monumentum inſigne præparaſſe, ne poſteris crederet, vt inſcriptio docet. Nam vt plurimùm illuſtres illi & literati viri Italiæ, genere nobili ſunt orti: Stemmata enim, & nobilitatis ſuæ gloriam alia re ſuperari non poſſe, præterquàm ſcientiarum cognitione credunt. Ideò non eſt mirum, ſi ex proprijs facultatibus ſepulchra ſibi fieri curent ſumptuoſa, & locis publicis erecta: propenſa in eorum memoriam beneuolentia ciuium, & fauore Principum: qui ſimul ſuum nomen illuſtrant, dum ſumptus aliquos faciunt in his ædificijs conſtruendis. Magnus ille Dux Hetruriæ, Coſmus Medices, plus famæ ſibi apud poſteros conciliauit, quòd doctiſſimos quoſque viros luculentis ſtipendijs ad ſe accerſiuerit: quòd bibliothecas illas duas tam inſtructas libris manuſcriptis Florentiæ excitauerit: quòd Architechtos, ſculptores, pictores, mathematicos & reliquos artifices, (quorum artes ingenio & iudicio tractantur) fauore & liberalitate promouerit, quàm ex tam ampla dominatione Hetruriæ, quæ illi nomen Ducis Magni acquiſiuit: &, ſi meritis digna merces rependeretur, Pontificum, Imperatorum, Principumque omnium vnanimo conſenſu Rex debuerat vocari. Cùm igitur ex multis collectionibus mihi pauca reſtent, ne portiunculæ illæ exiles ſuperſtites excidant & pereant, eas publico ſpectaculo proponere ſatius eſſe duxi, quàm incuria ſupprimi. Siquis meum ſtudium probabit, & quæ in eo deſiderabuntur emendet, augeat, & illuſtret, illi gratias agam, optimèque de me meritum fatebor: mihique gratulabor, quòd tam laudabili ſupplemento

exiguum

exiguum principium promouerit, illique cedam libenter, ſi quid exactius in medium attulerit. Viam enim aperuiſſe alijs ad benè agendum, glorioſum ſemper cenſeri debet. Qui plura, qui meliora, qui iucundiora fuerit meditatus, illi vltro concedam palmam meritam, & quicquid laudis ex mea induſtria mereri iudicabor: ſuauiſſimumque mihi ſemper erit, illorum dignitati meum officium, & obſequium vltro ſubmittere, & me illis, in quibus vincent, poſtponere. Tu verò, vir clariſſime, breues has reliquias placida, vt ſolitus es, fronte ſuſcipe cum auctore, qui ſe tuo nomini in perpetuum colendo volens dedicauit & deuouit. Vale feliciſſimè.

# PETRVS LEPIDVS METENSIS, REGIORVM NEGOTIORVM SVMMVS PROCVRATOR APVD MEDIOMAtricos, Virdunenſes, & Tullienſes, in effigiem Iani Iacobi Boiſſardi.

*HOspes, qui vagus in ſcientiarum*
*Hortis exſpatiaris, vt Mineruæ*
*Doctas ingenium excolas per artes,*
*Quem tu conſpicis heic breui tabella*
*Expreſſum Bryii arte penicilli,*
*Ille eſt Sequanici ad Dubis fluenta*
*Boiſſardo genitus parente vates,*
*Phœbo & Caſtaliis Deis amatus.*
*Ille eſt qui facili ſtylo, & colore*
*Vrbes Oenotriæ, & ſitus locorum,*
*Portus, valla, Pharos, lacus, cauernas,*
*Montes, & fluuios ſcaturientes,*
*Diuerſosq; habitus manu erudita*
*Deſcripſit, ſtatuaſque, imagineſque,*
*Et priſci monumenta cuncta ſæcli,*
*Impenſiſq; laboribuſque magnis:*
*(Publicam vtilitatem vt adiuuaret)*
*Solers edidit artifex, typiſque*
*Æuiterni operis Theoderici*
*Libro hoc propoſuit tibi intuenda.*
*Tu de te meritis benè has repende*
*Grates, vt ſtudium vtriuſque vultu*
*Sereno excipias, probeſque. Virtus*
*Illorum expetit vnicum hoc: nec vltra.*

IN SE-

# IN SECVNDVM VOLVMEN ANTIQVITATVM I. IACOBI BOISSARDI VESVNtini carmen ſcriptum à VETVRIO, LEONTIO, TARENTINO.

*OBſeſſa & capta eſt à Gallo milite Roma:*
*Et iam Tarpeias victor habebat opes.*
*Exul in integrum quem reſtituiſſe, Camille,*
*Te, licet ingratam, Iuſta per arma ferunt.*
*Preſſerat hanc Pœnis iterum ferus Hannibal armis,*
*Sed Fabio rurſus vindice ſalua fuit.*
*Dictus vterq; quoque eſt ſeruatæ conditor Vrbis:*
*Quod licuit venia, magne Quirine, tua.*
*Illa eadem eſt æquata ſolo; lateq; ruinas*
*Vidimus indigno procubuiſſe ſitu.*
*Quam dum magnanimo Boiſſardus ſuſcitat auſu;*
*Illamq; antiquis excitat è tumulis.*
*Reſtauratoris poterit cognomine dici:*
*Vel potiùs quartus conditor Vrbis erit.*

---

# LÆLII CLEOPASSI HYDRVNTINI IN eaſdem antiquitates.

*MAgno deſine, Roma, gloriari,*
*Quo ſtruis tibi conditore laudem.*
*Priſci mœnia Romuli, quis vſquam*
*Ad hæc tempora conferenda credat?*
*Fato cùm tibi natus eſt ſecundo*
*Auctor, pulueribus tuas ruinas*
*Qui rurſum exerit, & tuum nitorem*
*Purgat ruderibus, ſituq; turpi.*
*Nec, quod antè fuit, breui coërcet*
*Fines aggere mœnium tuorum,*
*Non tantùm Latii per arcta rura;*
*Sed quodcunq; patet polis ſub altis*
*Regnandum populis ſolum, occupandum*
*Indulget tibi, datq; poßidendum.*

*Non per vim penetrare erit neceſſe*
*Ad tutos glacie ſua Triones:*
*Nec Germania Cæſares tyrannos*
*Armatis legionibus repellet.*
*Paſſis excipiere vbique palmis,*
*Et plauſu populi. Tibique Gotthi,*
*Et trux Vandalicæ manus cohortis,*
*Olim infeſta, odium vetus remittet.*
*Florebis, rediuiua Roma: Sed fatere id*
*Boiſſardi ingenio rediſſe lumen.*

DOMITII FAINI VERONENSIS, IN EASDEM.

*AEternam quiſquis cecinit te, Roma, futuram,*
*Ille habuit Clario pectora plena Deo.*
*Non tamen hanc dixit, poſuit quam Romulus Vrbem,*
*Quæ nimis anguſtis finibus arcta fuit:*
*Et quam tempus edax ſubuertit: namq; caduca*
*Illa priùs fuerat condita materia.*
*Hanc intellexit, totum quæ ſparſa per orbem,*
*Boiſſardi æternis viueret aucta libris.*

POMPONII RICII NOLANI.

*OCciderat, longoq́; ſitu fœdata iacebat*
*Roma, atq; obſcuris condita erat tenebris.*
*Hanc ita tu reddis priſco, Boiſſarde, decori,*
*Maior vt antiquo reſtituatur honos.*
*At tibi nec deſunt merito tua præmia. Namq;*
*Reſtauras Romæ nomina: Roma tibi.*

ALARDI QVINTVLI NARNIENSIS.

*QVid facis, ô noſtri pars pectoris intima? ſcandes*
*Sidera, mortali non adeunda pede?*
*Tarpeias olim inſtaurauit Iuppiter arces,*
*Quas Fati iuſto tempore dextra ruit.*

*Tentabis ne audax Fato contrarius ire?*
*Pluſque tibi credes, quàm licuiſſe Ioui?*
*Collige relliquias Dominæ inter rudera Romæ:*
*Id licet; eſtq́ operi poſta ſuprema manus.*
*Proh ſuperi! vobis rediuiua Palatia ſurgunt;*
*Et Latij maior, quàm fuit antè, decor.*
*Ecce iterum priſci emergunt tibi, Romule, muri:*
*Scandere conceſſum eſt quos ſine cæde Remo.*
*Ecce iterum, totum fama quæ compleat orbem,*
*Altera Boiſſardi Roma reuixit ope.*

---

## HENRICVS FABRICIVS TABERNO-MONTANVS MED. D. ET SCHOLÆ ORNBA-cenſis Rector, in eaſdem inſcriptiones antiquas.

*VT vidi veterum monumenta operoſa virorum,*
*Antiquitates Italas,*
*Expleri mentem nequij, Boiſſarde, tuendo*
*Tuum perelegans opus.*
*O quantùm priſcæ debent tibi rudera Romæ*
*Tuo rediuiua munere!*
*O quantùm debent Heroum buſta maligno*
*Exeſa tantùm non ſitu.*
*Horum imis Manes gaudent, mihi crede, ſepulchris,*
*Tibique gratias agunt.*
*Et benè de nobis illa regione remotis,*
*Meretur hic tuus labor.*
*Quos Apœninum, quos æquas nubibus Alpes*
*Poſthac piget perrepere.*
*Qui dubijs renuunt caput obiectare periclis,*
*Quæ terra & vndis obuiant.*
*Qui ſumptus horrent, via quos longiſſima plures*
*Opinione poſtulat.*
*Quos malè habent Latii mores, Latiæque puellæ*
*Nudæ papillarum tenus.*
*Hic Italis oris viſu digniſſima liber,*
*Sumptu, via, periculis,*


Et caſtis

*Et caſtis oculis, & nullo crimine morum*
*Sua bonus ſpectet domi.*
*At te, plus vno digniſsime viuere ſaeclo*
*Boiſſarde, protegat Deus.*
*Vt quondam liceat tibi nobis edere plures*
*Induſtriae fructus tuae.*

---

## IOANNIS MYLII MARPVRGENSIS, IN EASDEM.

*MAgnificas meruit ſtatuas, operoſaq́; templa*
*Phoebeius Aeſculapius.*
*Hippolytum quòd equis excuſſum, animamq́; halantem*
*Largo cruoris flumine*
*Reſtituit priſcae docto medicamine vitae,*
*Animamq́; membris reddidit.*
*Tu labefactatae dum toto corpore Romae*
*Annis cadauer obſitum*
*Ad vitam reuocas, aeui non dentibus vnquam*
*Aeruginoſi obnoxiam,*
*Quas dignas laudes pro tali munere Roma*
*Prodet futuris ſaeculis.*
*Scilicet illa tuum nomen ſuper aetheris axem,*
*Non immemor tui, feret.*
*Quaq́; patet tellus vaſta circunſona Ponto,*
*Seri canent te poſteri.*
*At tu non tituli decus aſpiras, nec honoris*
*Ambis caduci gloriam.*
*Attamen inuitum te fama aeterna ſequetur*
*Omnes per orbis angulos.*
*Illuſtres noctu pronis in turribus ignes*
*Lucere deſinent priùs:*
*Quàm tua ſe virtus occultet nomine caſſa,*
*Silentij & nube obruat.*
*O felix iterum, o felix Mauortia Roma,*
*Cui talis Aeſculapius*

Conti-

*Contigit! Hic faciet limoſo e gurgite tractam*
*Vitæ potiri munere;*
*Dum circum aſtriferi voluetur machina mundi,*
*Pingentq́; cœlum ſidera.*
*Romule, concedes, ſi præripit hic tibi palmam*
*Boiſſardus atque gloriam.*
*Mœnia tu dederas ſaltu ſuperanda volucri*
*Remo, laboreque minimo.*
*Romani imperij fines hic Solis ab ortu*
*Cubile ad Heſperi vehit.*

---

## NICOLAI CLEMENTIS Viſeliſij.

*NOn veterum ſunt hæc ſpirantia marmora regum;*
*Non procerum moles, pyramidesve ducum.*
*Eruta ſunt, Boiſſarde, tibi monumenta ruinis,*
*Omnibus in mundi conſpicienda locis.*
*Plus Romana tuis durabunt rudera chartis,*
*Quam ſaxis olim condita Roma ſuis.*
*Roma ſui tumulus per te rediuiua reſurget:*
*Plus tumulis viuet, quàm lapidum cumulis.*

---

## SONNET DE PAVL PERROT SEIgneur de la Sale: ſur les meſmes antiquités.

*L'Obſcure Antiquité dans ſoymeſme perdue.*
*A l'aide d'un airin, & de noz curieux,*
*Sembloit pouuoir brider le temps iniurieux*
*Et eſchaper l'oubli qui la tenoit vaincue.*
*Mais ny l'airin retif, ny la recerche drue*
*Du ieuſneur Antiquaire auec ſes grans yeux*
*N'eut rien fait, ſi Boiſſard tuteur des ſiecles vieux*
*N'y eut preſté la main pour la remettre en veue.*
*Avecques ſon pinceau ſes couleurs il luy rend;*
*L'auiue par ſes vers ou l'ame elle reprend:*

*Et de vieille quelle eſt au iour il la rapelle.*
*Admirable Boiſſard i'admire en ce faiſant*
*Ta ſcience, qui fait le iour paſſé preſent:*
*Et de l'Antiquité une choſe nouuelle.*

---

## AD LECTOREM BENEVOLVM

Boiſſardus.

*SI primum placuit tibi volumen,*
*Acceptum tibi non minùs ſecundum*
*Spero, candide Lector, qui maligno*
*Non es iudicio. Heic mihi paratur*
*Currendum ſtadium patente Circo:*
*Quod ſunt menſi alij quidem probato*
*Succeſſu, & populi fauente plauſu.*
*Quòd ſi curriculum ingredi hoc parem; nec*
*Præſtem quicquam aliud peritius, quàm*
*Quod præſtaſſe alios priùs fatemur,*
*Fiam ridiculus; pudorq́ nobis*
*Infami feriet genas rubore.*
*Mazochiq́ & Amantij labores,*
*Et quæcunque Apianus exarauit,*
*Maximè Smetij librum eruditum*
*(Cui doctam impoſuit manum, togæque*
*Gemmatum Tyriæ addidit monile,*
*Magnus Lipſius ille, Cluſiusq́,*
*Gloria Atrebatum & decus perenne)*
*Quiſquis viderit, haud fuiſſe dicet*
*Neceſſe hæc mea publicare: cùm ſint*
*Vna res eademque. Vt illi honorem*
*Suæ ſedulitatis, ingenijque*
*Mercedem accipiunt, ſuisq́ dignam*
*Lauream meritis (mali viri eſſet*
*Inuidere bonis) & inuidebunt,*
*Opinor, mihi non magis vel illi,*
*Lector qui bonus audis, hæc tuis ſi*
*Nunc proponam oculis videnda, quæ ſunt*
*Non ſolùm locupletiora cunctis,*

*Primis edita quæ fuere prelis,*
*Sed, quod nemo negat, venuſtiora.*
*Nam, ne mancum opus hocce diceretur,*
*Nihil non hieroglyphum reliqui.*
*Commentaria & Explicationem*
*Singulorum alios ſinam docere.*
*Nobis ſufficit ordine indicare*
*Quæ ſunt ad Latii fluenta Tybris*
*Priſcorum monumenta temporum: quaſque*
*Hoſpes in medijs ſtupet ruinis*
*Romæ relliquias. Scopum mihi iſtum*
*Solum propoſui, tuo relinquens*
*Cuncta Iudicio probanda. Quòd ſi*
*Hæc induſtria tam laborioſa*
*Fauorem potis eſt tuum mereri:*
*Nunquam me ſtudij huius, atque ſumptus*
*(Quem me oportuit, vt tibi hæc dicarem,*
*Olim ſuſtinuiſſe) pœnitebit.*

# DE FVNERIBVS ET MODO SEPELIENDI VSITATO APVD Antiquos.

CVM in hoc ſecundo volumine, ſicut & in priore factum eſt, proponantur diuerſæ inſcriptiones, quę in hodiernum vſque diem in marmoribus Romanis conſpiciuntur. Ex iis aliæ ad res diuinas pertinent, nempe ad titulos Deorum, ad templorum & ſtatuarum dedicationes, aliæ ad ædificia publica, vtpote ad porticus, pontes, aquęductus, circos, portas vrbis, locorum terminos, & alias ſtructuras illuſtriores: Reliquæ autem, quibus maior huius libri pars occupatur, ad Epitaphia mortuorum referri debet. Cúmque de ſepulchralibus inſcriptionibus hîc ampla fiat mentio, exiſtimaui ad Lectoris delectationem conducere, ſi pauca hic adnotem, quæ de funeribus & modo ſepeliendi apud ſcriptores paſſim occurrunt.

Conſtat enim apud Antiquos magnam ſepeliendi mortuos obſeruatam fuiſſe curam. Nam cùm parentum, liberorum, cognatorum, amicorumque præſentia deſtituerentur, eorumque deſiderio mirificè tangerentur, non eſt mirum ſi nihil intẽtatum reliquerint, quod ad conſolationem & mœroris diminutionem faceret. Cui acceſſit & religio, qua conſcientiæ & mẽtes hominũ plurimùm mouẽtur. Nemo enim fuit vnquam, exceptis aliquibus atheis & prophanis, qui non exiſtimauerit Deum eſſe mundi totius creatorem, & conſeruatorem, hominemq; ad eius ſimilitudinem factum, rationiſq; capacem, vt ſuum conditorem cognoſceret, illi ſeruiret, illum veneraretur & coleret. Vtque Diuina illa maieſtas ęterna, infinita, & omnipotens eſt, ſic quoque pura, perfecta, ſcelerum vltrix, & virtutum remuneratrix: quæque nihil habet commercij cum vitio & peccatis. At è cõtrario, nemo eſt tam vecors, nemo tam ſtupidus, qui ſe non agnoſcat multis in rebus imperfectiſſimum, & peccato obnoxium, imo vitam omnem continuationem eſſe peccati. Cumq; Deus ſcelera

&

& crimina auerſetur, nemo dubitat aliquando reddendam eſſe noſtrarum actionum rationem coram tribunali Iuſtitiæ Diuinæ: Et vnũquemq; recepturum ſecundũ opera ſua. Hæc doctrina licet propriè ad Chriſtianos pertineat, gentes tamen quæ Dei verbum non audiuerunt, ab eà non fuerunt alieni: Imo docuerunt animas mortuorum poſt obitum ad Inferos ferri, & à Plutone Inferni Deo tradi ſeueriſſimis iudicibus Minoi, Rhadamãtho & Æaco, qui incorrupta trutina omnium anteactam vitam trutinabant, nulloque reſpectu, aut ratione habita ſtatus, conditionis, dignitatis, ſexus, aut ætatis, de omnibus incorruptam ferrent ſententiam: ſontes & noxios pœnis & torturis atrocibus pro magnitudine delicti adiudicabant: alios rotis, alios vulturibus, alios Eumenidibus furiis infernalibus conſcindendos flagellis & verberibus; alios vadis Cocyti & Phlegethontis, flamma & ſulphure ſtagnantibus immergendos præcipiebant, tandiu donec iuſtitiæ diuinæ ſatisfactum eſſet, pœnaq; iuſta crimen admiſſum elueretur. Boni verò & Dei cultores, quique per virtutem vitam tranſegerant, plurimis profuerant, obfuerant nemini, hi Diuinum fauorem & gratiam conſecuti ad beatam & æternam tranquillitatem & felicitatem transferebãtur ad Elyſios campos: vbi flumen Lethes proni adibant, & de eo potabant, vt inde malorum & laborum in vita tranſactorum obliuionem conciperent: & ſeſe ad loca deſtinata, & beatorum conſortia reciperent: vbi delitiis omnibus doloris & triſtitiæ immunes fruerentur: iiſque ſtudiis vacarent, quibus in vita maximè fuerant delectati: vtpote literati cum literatis, milites cũ militibus, virgines cum virginibus, matronæ cum ſimilibus, qui omnes Philoſophia, rerum arduarum meditatione iucũda, militaribus exercitiis, choris, cantu, & reliquis eiuſmodi exercitiis ſeſe oblectabant.

At cùm incertum eſſet quo modo quiſque tractaretur apud Inferos, mortuorumque curam non poſſent deponere viuentes, omnem mouebant lapidem, vt defunctorum neceſſitatibus prouiderent, tam legitima ſepultura, quàm precibus, & ſacrificiis, quibus DEVM placari, & clementem reddi iudicabant: hoc ante omnia procurantes, vt animabus

defunctorum Deos manes propitios & fauentes redderent, Exiſtimauerunt enim antiqui, hominibus, cum primùm in lucem venirent, duos Genios tutelares committi, qui hominem, dum in vita eſſet, nunquam deſererent, ſed eius omnes actiones bonas & malas obſeruarent, & exactè notarent; vt poſt mortem anima ad Inferos delata, & Iudicum examini ſubiecta, reciperet præmia felicitatis, aut pœnas admiſſorum criminum, prout teſtimonio Manium probabantur benè vel malè egiſſe in corporibus: Hinc apud Vergiliũ Anchiſes Æneæ filio inquit, *Quiſque ſuos patimur Manes.*

Prima igitur apud antiquos poſt ſuorum mortem cura fuit, vt legitimè ſepelirentur. Quotannis enim certos dies inſtituerunt, quibus parentationes fierent, nempe tertium, ſeptimum, nonum & trigeſimum poſt obitum diem. Græci ἐναγίσματα vocabant obſequias, & oblationes, quæ Dijs Manibus offerebantur pro animabus defunctorum, νεκύσια erant ſacrificia pro mortuis. ταφήματα conditura & inhumatio. κτερίσματα & ἔνατα erant nouendiale illud ſacrum, quod nono poſt obitum die fiebat. τριακάδες καὶ τριακόνδες, quæ celebrabantur poſt trigeſimum diem. Latini ea omnia comprehendebant ſub nominibus iuſtorum, exſequiarum, inferiarũ, parentationum, nouemdialium, denicalium, februorum & feralium. Quæ omnia didicerunt à Græcis: Græci ab Ægyptijs, Ægyptij à Chaldæis, Æthiopibus, Gymnoſophiſtis, & Brachmanibus: qui omnes ſpe reſurrectionis futurę ea ſacra inter ſuos inſtituerunt. Licet hanc de reſurrectione doctrinã Plinius more ſuo irridet, lib. 7. c. 55. vbi ait. Similis & de aſſeruãdis corporib. hominũ, & reuiuiſcendis promiſſa à Democrito vanitas, qui non reuixit ipſe. De hac reſurrectione ita ſcribit Phocylides:

Οὐ καλὸν ἁρμονίην ἀναλυέμεν ἀνθρώποιο.
Καὶ τάχα δ' ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν.
Λεί̃ψαν, ἀπειχομένον ὀπίσω δὲ θεοὶ τελέθονται,

*Non eſt pulchrum harmoniam corporis humani ſoluere, quem ſtatim ex terra ſperamus in lucem rediturum, & poſtea inter deos numeratum iri.*

Ex hac opinione natus eſt inter Ægyptios mos ille curioſus cõdiendi corpora: quẽ tantis ſumptibus obſeruarũt Seſoſtris,

ſtris, Amaſis, Sinandius, & alii Satrapę, imo & ipſi plebeii, qui omnes hanc futuram reſurrectionem exſpectabant: quorum vnuſquiſq; pro ſuis facultatibus ſuorum corpora condiebāt, vt integra ſeruarentur, ſi fieri poſſet, vſq; ad cōſummationem ſæculi, quo tempore corporum reſurrectionem futuram exiſtimarunt. Neque defuerunt plurimi, qui ſepulturam viſi ſunt negligere: vt de Diogene factitatum legimus: qui amicis rogantibus quid poſt mortem de ſuo corpore faciendum vellet. Hoc, inquit, aut in profluentem abijcite, aut exponite deuorandum alitibus & feris. Et Anaxarchus dum iuſſu Nicocreontis tyranni Cyprij pilo tunderetur in mortario. Tunde „ tunde, ait, Hunc Anaxarchi corticem, quo ipſe inuolutus eſt, „ nihil enim hinc damni accipio. Sed illi ſepulturam corporis ideo negligere viſi ſunt, quòd maximè ad eam hominis partem, quę præcipua eſt, ſpectare viderētur, nempe ad animam, cuius quaſi theca, vel veſtis, vel domicilium eſt corpus hoc caducum & corruptibile, cùm anima ſit immortalis. Quod Ci- „ cero teſtatur in ſomnio Scipionis. Tu verò ſic habeto, inquit, „ te non eſſe mortalem ſed corpus hoc. Nec enim tu is es, quem „ forma iſta declarat, ſed mens cuiuſque is eſt quiſque, non ea fi- „ gura quæ digito demonſtrari poteſt. Hanc opinionem ſecuti „ ſunt alij multi: qui corporis mortales exuuias cōtempſerunt, de anima tantùm ſoliciti: vt de Mæcenate legimus.

*Nec tumulum curo, ſepelit natura relictos.*

Et Vergilius introducit Anchiſen dicentem: *facilis iactura ſepulchri eſt.* Seneca inquit: Omnibus natura ſepulchrum de- „ dit. Naufragorum idem fluctus qui expulit: Suffixorum cor- „ pora crucibus in ſepulturam ſuam defluunt: eos qui viui cre- „ mantur pœna funerat. Lucanus lib. 7. inuehitur in Iulium Cæſarem, qui iuſſerat Pompeianorum cadauera inſepulta relinqui.

*Nil agit hac ira; tabes ne cadauera ſoluat,*
*An rogus, haud refert. placido natura receptat*
*Cuncta ſinu:* & paulo poſt: *capit omnia tellus*
*Quæ genuit: cœlo tegitur qui non habet vrnam.*

Cyrus quoque Perſarum rex, teſte Xenophonte, morti proximus filiis ſuis præcepit, vt poſtquam expiraſſet corpus

ſuum

ſuũ humo ſtatim mandarent, de pompa funebri, & ſumptuoſiore ſepulchro neutiquam ſoliciti: beatum ducens, corpus ſtatim reſolui in terram, vnde ortum duceret.

Maior tamen meliorque pars hominum exiſtimarunt ſemper eſſe infeliciſſimum ſepultura carere. Neq; certè corpus hoc terreſtre, licet infirmum caducumque ſit, omni honore indignum eſt. Cùm enim ſit animæ domicilium, & per id ipſa anima, tanquam per idoneum inſtrumentum, multa laude digna operetur, quæ ad Dei optimi honorem, & ad conſeruationem ſocietatis humanæ faciant, conſentaneum rationi videtur, vt id ab anima ſeparatum honorificè tumulo mandetur. Nihil enim ſtructura corporis humani præſtantius, nihil admirabilius videri poteſt. Si quis exactè contempletur ſingularum partium compoſitionem & ſymmetriam, exiſtimabit ad eius ſtructuram concurriſſe omnes Diuinæ ſapientię theſauros. Nihil enim aptius, nihil perfectius formari poterat, ad recipiendam eam hominis partem quæ præcipua eſt, & Deo ſimilis, nempe animam, cuius imaginationes & conceptus, hoc corpus exequitur. Admiranda ſunt, ſi benè perpendamus, tot & tanta opera, quæ manibus hominum perficiuntur, ex quibus iudicium internum quale ſit clarè perſpicitur. Hinc Hermes Triſmegiſtus tradit Deum procreaſſe duo maximè admiranda, Mundum, in quo ſe exerceret & luderet per infinitas creaturas; & Hominem, in quo ſe oblectaret & delectaretur: quibus diuinitatis omnipotentia & bonitas manifeſtatur, vt enim mundus imago Dei eſt, ſic homo eſt imago mundi. Propterea Philoſophi hominem vocarunt μικρόκοσμον: Et Paulus hominis corpus templum Dei appellat: Neque vlla creatura inuenta eſt, quam DEI filius ſibi adiungeret, quàm homo. Nam Chriſtus ſeruator noſter Deus eſt & homo, ſicut homo eſt anima & corpus inſeparabiliter coniuncti. Deus enim animam creauit ad ſuam ſimilitudinem, quæ vnita cum corpore efficit hominem. Cumque verbum Diuinum cum homine fuerit vnitum, credendum eſt hoc corpus, quod hominis pars eſt, cum Chriſto ſuo capite reſurrecturum, & cum Deo vniendum eſſe. Æquum eſt igitur vt diſſoluto hoc homine, corpus ab anima ſeparatum ſingu-

ſingulari honore excipiatur, & ſepulchro aliquo tumuletur: quo moneat mentes viuentium eos mortales eſſe. Seneca exiſtimat monumenta ideo dicta, quod mentes hominum moneant ſuæ conditionis, & a metu mortis eos reuocent. Plato quoque ſolebat dicere præcipuum Philoſophiæ ſcopum in eo verſari, in perpetua mortis meditatione. Auguſtinus ſuper 2. lib. Regum cap. 2. vbi benedicitur iis qui Saulis corpus ſepeliuerant, ait: Corpori humano quicquid impenditur, etiam ſi id non fiat ad præſidium ſalutis, tamen eſt ad humanitatis officium. Et Varro indignatur Licinium quendam Auguſti tonſorem ſumptuoſo ſepulchro ad viam Salariam conditum, cum alii præſtantiſſimi viri eo carerent honore.

*Marmoreo tumulo Licinus iacet: at Cato paruo,*
*Pompeius nullo. credimus eſſe Deos?*

Abrahamus hunc honorem ſepulturæ adprobans, Geneſis cap. 23. prouidet de conditorio ſibi, vxori, poſteriſq; ſuis. Et in id monumentum (quod eius auus coëmerat a filijs Hemor) Iacobus in Ægypto moriens inferri cupiuit: Præcepitque filiis, vt poſtquàm eorum poſteritatem Deus liberaſſet a ſeruitute Ægyptiorum, & eos introduxiſſet in terram Cananęorũ (quã Deus promiſerat Abrahamo & ſemini eius) vt eius oſſa ſecũ ex Ægypto auſportarent, & conderent in ſepulchro Abrahami. Legimus Cimonem Miltiadis filium captiuum ſe reddidiſſe, & carceri incluſum, tantiſper dum pater ſepulchro mandaretur, quod à creditoribus impediri poterat: tanta fuit apud omnes populos ſepulturæ cura, vt nemo ea carere voluerit. Vnde Plutarchus in vita Lycurgi ſcribit: præceptum fuiſſe non minus alacriter pugnandum pro ſepulchris maiorum, quàm pro focis & aris. Quia apud omnes ſepulchra ſacroſancta iudicabantur, & inuiolabilia: vt teſtatur Plinius libro ſecundo cap. 65. Et in legibus duodecim tabularum ſcriptum eſt: Vbi corpus demortui hominis condas, locus ſacer eſto. Infeliciſſimi ſemper iudicati ſunt omnes qui honore ſepulchri deſtituerentur: Vnde Poëtæ fabulati ſunt defunctorum, qui ſepultura carebant, animas circa Stygiam paludem palantes & vagabundas errare cum

gemitu & mœrore triſtes, neque cymba Charontis excipi, vt ad quietem transfretarent, donec terra tumularentur eorum cadauera. vt apud Homerum legimus de Elpenore: & apud Vergil. 6. Æneid. de Palinuro, qui ad Acherontem Æneæ occurrens hæc cum gemitu exclamat:

*Nec ripas datur horrendas nec rauca fluenta*
*Tranſportare prius, quàm ſedibus oſſa quieſcant.*

Et paulo poſt ſubiicit,

*Eripe me his, inuicte, malis, aut tu mihi terram*
*Inijce.*

Homerus quoq; Odyſſeæ 3. ait: Si Menelaus inueniſſet Ægyſtũ in domo fratris Agamemnonis, corpus eius expoſuiſſet feris deuorãdum, & canibus nocturnis: idq; omni honore ſepulchri priuaſſet, tanquam ſummum malum, quod defunctis & inimicis inferri poteſt. Vnde apparet ſepulturã vltimũ beneuolentiæ, ac pietatis eſſe officium, quod defunctis agnatis & amicis impẽdimus: quoq; viuentibus acquiritur conſolatio, & deſiderium abſentium quoquo modo leuatur, & imminuitur. Monumenta etiam non paruum ad virtutem ſtimulum præbent. Nam cùm ſuperſtites animaduertunt, viris laude dignis, & de republica bene meritis ſepulchrales honores tribui & conferri, ad eaſdem virtutes ſequendas non mediocriter excitantur & compelluntur.

At cùm ſepeliendi mortuos apud omnes populos receptus ſemper fuerit mos: non vna eademque ratio apud omnes fuit vſitata. Ægyptij (qui in religione Deorum fuerunt ſuperſtitioſiſſimi) corpora ſuorum mortuorum poſt lotiones, exenterationes, & expurgationes ab omnibus excrementis & immunditijs, & ijs omnibus quæ putrefactionem admittunt, ſi tenuioris eſſent conditionis, nitro ac ſale præparato totum corpus ſpargebant, ceraque tegebant, & ita ſepulchris mandabant. Qui verò erant locupletioris fortunæ, vt reges, principes & magnates, non ſolùm nitro lauabant, ſed integrũ corpus opobalſamo linibant, quod apud eos copioſum creſcebat: & vſq; ad hodiernum diem aliquot plantæ adhuc ſeruantur in hortis Sultani, in oppido Metanrea non procul à Memphi, quæ ſumma diligentia coluntur: & ſuccus qui

ex ar-

ex arbuſculis ferro inciſis, diebus canicularibus deſtillat, ad Othomannum Imperatorem, tãquam theſaurus exquiſitus, Conſtantinopolim defertur. Hoc balſamo, precioſiſſimiſque aromatibus præparata corpora munda ſyndone inuoluebantur, & ſepulchris marmoreis tegebantur: quæ vſque ad noſtra tempora ſeruata ſunt; & eruta è ſepulchris in Europam deportantur, ad medicorum vſum, qui ea Mumiam vocant: diuerſa tamen ab inuicem, prout balſamo vel leuioribus aromatibus olim ſunt imbuta, ita alia aliis præſtant: neque ſolùm apud Ægyptios id vſitatum fuit, ſed etiam apud antiquos Italos hunc morem ſeruatum animaduerſum eſt, nempe Hetruſcos qui ex Ægypto in Italiam nauigantes regnum tenuerunt apud Tyrrhenos & Ligures: Memini me audiuiſſe à clariſſimo viro Iulio Roſcio S. Mariæ Tranſtyberinæ canonico Romæ, ſuo tẽpore ad Arnũ ex fluminis inundatione detectum fuiſſe ſepulchrum, in quo inuentũ eſt corpus humanũ adhuc integrum & incorruptũ: in cuius concauitate liber erat literis hieroglyphicis notatus, cũ phiala aurea plena neſcio quo liquore oleaginoſo. Veriſimile eſt characteres illos continuiſſe aliqua myſteria ſacra ad ſalutẽ animæ defuncti conducentia. quemadmodum factitatum animaduertimus ab Ægyptiis, qui in concauitate thoracis mortuorum inſerebãt libros papyraceos, vel volumina corticũ arborũ, vel membranas characteribus hieroglyphicis plenas, cũ imagunculis gypſeis Canopi, Dei apud illos ſumma veneratione culti: quem proculdubio credebant placatũ & conciliatum ſacrificiis reddi propitium animæ defuncti. Eiuſmodi imagunculæ gypſeæ cyaneo vernice deſuper litæ ſeruantur multis in locis, in conclauibus principum: quales vidi olim duas Piſauri, vnam Rom in cõclauiæ Cardinalis Strozzæ, & alibi: adferuntur enim crebrò ad nos Alexãdria à mercatoribus qui illic negotiantur. Superioribus annis Luſitani quidã mercatores ex Ægypto in Hiſpaniam nauigantes cum mercibus, quas ex Aſia & Alexandria comportabant, tempeſtate acti ſunt ad littus Maſſilienſiũ: qui quia eſſent Hiſpanicæ factionis, eorũ naues à Præfecto vrbi retentæ ſunt, & merces fiſco regis adplicatę. Mercatores, vt hanc iacturã auerterent, ad

Henricum Galliæ regem huius nominis tertium ſeſe contulerunt, ſuppliciter rogantes, vt liberi cum nauibus & mercibus dimitterētur: mercatores ſe eſſe dicebant, nihil hoſtiliter geſſiſſe, ne cogitaſſe quidem, ventorum violentia ſe ad littus Gallicum compulſos, non voluntate, vtq; munuſculis leuioribus regis amicos & aſſeſſores ſibi conciliarent, ducem potiſſimum Epernonium, qui præcipua autoritate valebat apud Regem, cui obtulerunt ſtatuam Canopi elegantiſſimis characteribus hieroglyphicis circunquaque inſignitam. Eam ex Ægypto aduectam aſſerebāt, & repertam in corpore Mumiaco magni precij, quod à Proſultano ad Imperatorē Turcicum Conſtātinopolim miſſum erat. Statuam (quòd palmi longitudinem non excederet, & ex gypſo fragili eſſet cōflata) neglexit dux, militiæ potiùs quàm antiquitatum ſtudioſus, eamq; clariſſimo viro Petro Lepido Metenſi Regiorum negotiorum Procuratori (qui tunc fortè adſtabat) dono dedit, Lepidus verò mihi. Atqui eius ſtatuæ typum, Deo volente, inſeram poſtremo libro mearum antiquitatum, qui continebit inſcriptiones Gallicas, potiſſimùm Metenſes.

Funerum igitur horum præcipuæ ceremoniæ conſiſtebāt in lotionibus, conditura, pompa funebri, pullis veſtibus, & ſepultura: quibus ritè exactis orationes funebres declamabātur in laudes defuncti, & expiationes obſequiarū pro anima, ſacrificiaq; fiebant Plutoni Sūmano, & Dijs Manibus animæ tutelaribus, Proſerpinæq;, qui oēs dij erant inferni animarū potētes. Potiſſimū Dij Manes officioſè placabātur, qui à principio natiuitatis tribuebātur à Deo Opt. Max. cuſtodes animæ hominis recèns nati, vt eſſent eius tutelares, & obſeruatores omniū actionū per totam vitā, hortatoreſq; ad virtutē: poſt obitū aūt animam comitabātur ad Inferos, & eā ſiſtebant corā Iudicibus Minoe, Rhadamātho, & Æaco: quas ꝓ ratione virtutum, vel peccatorū anteactorum in vita, ſeueriſſimis pœnis puniebāt, vel quieti ęternę adiudicabant, apud Elyſios cāpos, ad quos mittebantur beatorū animæ. Nam, vt paulò antè diximus, hæc omnia tam curioſè obſeruabant, cōſiderantes futuram corporis reſurrectionē, quod ſimul cū anima potiturū eſt vita æterna. Ideo æquum eſſe videtur, vt reiectis omnibus

abuſibus,

abuſibus, & ſuperſtitione, aliquid impendatur in ſepultura mortuorũ, quod ſemper & vbiq; à pijs patribus obſeruatum fuiſſe animaduertimus. Ethnici nullũ modum in his obſeruãtes, hinc primã Idololatriæ deſumpſerũt originẽ. Ninus Aſſyriorum rex tertius, vt ſuis poſt mortẽ prouideret, ac eorũ memoriam ad poſteritatẽ extẽderet, ſepulchra Saturno Nẽbroto avo, patriq; Belo Ioui, Rheæ auiæ, & Iunoni matri ſplendidiſſima ſtruxit ſepulchra, ſacrificia inſtituit, & ea omnia quæ ad pompas funerum pertinere videbantur: neq; his contẽtus, ſtatuas, quæ mortuorũ ſimilitudinem referrẽt, publicè erexit, templa illis ſtruxit, & diuinos honores, ſacrificiaque ſolemnia illis inſtituit: non tantùm propter memoriam defunctorum, ſed vt aliquam conſolationem adipiſcerentur in dolore amiſſorum parentum, quorũ præſentia, auxilio, & tutela priuabãtur poſt eorum mortem. Diophantus Lacedæmonius lib. 4. antiquitatũ recitat apud Ægyptios fuiſſe Syrophanem Satrapam locupletiſſimũ, qui filium habuit vnicum ſucceſſorẽ & hæredem futurum nominis & facultatum. Cuius morte tãto dolore & mœſtitia cruciatus eſt, vt nihil omiſerit intẽtatum, quod ad Iuuenis obſequias facere putaret. Mortui imaginem artificioſiſſimè elaboratã in medijs ſuæ domus penetralibus ſtatuit, quã recentibus ſemper floribus redimibat, & alijs ornamẽtis ſumptuoſioribus. Eam deniq; iuſſit à ſuis domeſticis coli & inuocari, & tanquã participẽ alicuius diuinitatis adorari: quiq; ex ſeruis aliquid admiſiſſet, quod punitionẽ mereretur, ſi ad altare illius imaginis ſupplex cõfugiſſet, veniã conſequebatur. Et hæc ſuperſtitio ſtatim poſtea ad aliorũ Principum ſepulchra & imagines trãſijt: vt monet Clemens Alexãdrinus in ſuo Protreptico: dum loquitur de ſepulchro Acriſij, quod erat Lariſſæ. Et de Cecropis, ꝙ videbatur apud Atheniẽſes. Tanti, certè, apud oẽs fiebat honos ſepulturę, vt infeliciſſimi ſemper iudicati ſint, qui inſepulti relinquerẽtur. Ideo lex antiqua iubebat eos ſepultura remouendos, qui ſibi manũ intuliſſent. Qui ſibi manũ admouerit inſepultus eſto. Et Barbari oẽs ſuorũ ſepulchra ſacroſãcta ſemper habuere: quod ab Epaminonda Thebano dici erat ſolitũ, Mortem ſacram animo imperterrito ſubeundam eſſe, pro defenſione patriæ, pro

ſepulchris maiorũ, pro aris & focis. Inuiolabilia apud omnes iubebantur maiorum ſepulchra. Leges duodecim tabularũ hoc expreſsè continebant. VBI CORPVS DEMORTVI CONDAS LOCVS SACER ESTO. Quod etiam Cicero lib. 2. de legibus autoritate Pontificum ſancitum fuiſſe teſtatur. De hac re lege Plinium lib. 2. cap. 66.

Primum ſepulchrorum conſtitutorem, & funerũ curatorem hiſtoriæ perhibent fuiſſe Samothem, qui apud Gallos regnauit, & DIS Pater vocatus eſt, & Summanus, quaſi ſummus Maniũ: & Soranus à vocabulo σῶρος quod eſt ſepulchrũ: de quo lege Plin. lib. 2. c. 54. & Auguſt. lib. 4. de ciuitate Dei. Is parentationum, & funerum ceremonias inter ſuos inſtituit. Ideo potens animarũ poſt obitum iudicatus eſt, diuinitatiſq; particeps, & Inferorũ rex, ad quos defunctorũ animæ deſcendebãt, cuius vxor Perſephone fuit, ſiue Proſerpina, quę à Romanis Libitina vocabatur: in cuius templo vendebantur, vel locabantur quæcunq; ad funera pertinebant: & Libitinarii dicebantur Veſpillones, & funerũ curatores. Plutarchus quęſtion. 23. Licet Libitina eadem crederetur cum Venere: quæ natiuitatis & mortis erat procuratrix & promotrix.

Ægyptiis mos erat, quoties Rex è vita deceſſiſſet, corpus mortui ſyndone inuolutum deferre ad Acheruſam ſiue Stygem Paludem non procul à Memphi, vel vt teſtatur Seruius poſt Senecam, prope Sienem. Lacus enim erat limo craſſo & nigro plenus, carectis & harundinibus circunquaq; ſeptus, horridus & terribilis aſpectu: in cuius medio aſſurgebat inſula parua nomine Abatos. Cymba, qua eò traiiciebatur, ſecundũ Herodotum vocabatur βάρις: ſecundũ Græcos dicebatur ἐπιβάτηρα: nauta verò qui corpora ducebat Charon. & naulum quod pro vectura ſoluebatur, δανάκη vel δανός. In illa inſula conueniebãt quadraginta iudices, ex integerrimis & incorruptiſſimis ſelecti, qui in hemicyclum ſedentes defuncti corpus ſibi proponi iubebant, & denudari; eiuſq; vitã exacta inquiſitione examinantes, & æqua trutina benè facta, vel peccata trutinãtes, iudicabant an ſepulturæ dignum eſſet honore, vel cõtra. Quæ ſententia non tantũ ad reges, verùm etiã ad omnes alios pertinebat. Si dignũ ſepulchro pronunciarẽt, tũ indicebatur

luctus

luctus publicus, per ſeptuaginta duos dies, quibus vniuerſus populus fractis veſtibus, & luto fœdatis capitibus triſtis ſedebat: templa omnia claudebantur, ſacra intermiſſa, & vacatio ab omni opere præcipiebatur: nemo interim thermis vtebatur, nemo balneis corpus immergebat: nemo vino, cibis coctis, vel quoquo modo præparatis veſcebatur, nemo lecto decumbebat, vel rei venereæ vacabat. Hoc enim tēpore corpus regis per Pollinctores tractabatur, & præparabantur omnia quæ ad exequias erant neceſſaria.

Modus condiendi corpora apud Ægyptios tribus potiſſimū modis fiebat, qui tamen omnes eò tendebāt, vt defuncti corpus à putredine vindicaretur & integrū ſeruaretur. Corpus igitur poſt mortē exquiſitis lauacris accuratè lauabant, & abluebant omnes ſordes, ſi quę cōtractę eſſent ex morbo, vel alia ratione. Ea deinde munda cōmittebantur Pollinctorib., qui procurabāt euiſcerationes, euacuationes, & alia quę à cadauere propter putredinē erant eximenda. Hi primū omniū pręparatis ad hunc vſum inſtrumentis argenteis, vel aheneis, vel ferreis vncinis, & volſellis per narium cauitatē & meatus cerebrum extrahebant, vacuumq; cranium replebāt odoriferis & fragrantibus aromatibus. Poſtea cultello acutiſſimo, confecto ex lapide Æthiopico, ventrē inſcindebāt, & eximebant omnia inteſtina & viſcera, præter cor & renes: diligētiq; lotione ex vino Phœniceo abluebāt omnia interiora corporis, quæ replebant myrrha, cinamomo, caſia, & aliis precioribus balſamis, odoribus, & liquorib. putredinē & corruptionē prohibentibus: excepto thure, quod quia ad ſacra Deorū deſtinatum erat, non exiſtimabant licitum eſſe, id applicare ad vſus funebres, vel etiā profanos. His peractis, cooperiebāt corpus totū gūmi liquido cedri, & macerabāt ſale pręparato: totaq; hæc cōdiendi cura producebatur per dies triginta, vel ſexaginta, vel etiam 70. prout ſumptus exquiſitiores fiebant: & ad ſummū luctus ſeptuogeſimo die finiebatur. Demū cadauer faſcia xylina oblonga, & lata dimidium pedē inuoluebatur à capite vſq; ad pedes: poſtea includebatur ſimulachro ligneo, ꝙ defuncti formā exprimebat: feretroq; impoſitū, vel lecto funebri, proponebatur ante ſepulchrū cū ſcripto, quod

omnia geſta mortui continebat: quæ quiuis obuius ex lege poterat taxare, impugnare, & accuſare. Ex oppoſito ſtabant alii qui defunctum laudabant, & eius vitam recitabant coram ſacerdotibus, qui præſentes aderant, arbitri & iudices eorum quæ proponebantur ab accuſatoribus & defenſorib. ita vt aliqui reges malę conuerſationis in vita conuicti, ſepulchri honore poſt mortem priuati ſint.

Eundem modum ſeruabant in ſepeliendis mulieribus: quæ ſi è vita deceſſiſſent forma integra, & ætate iuuenili, eſſentque nobilium & locupletum vxores vel filiæ, earum corpora non committebant veſpillonibus ante quartum vel quintum diem, cùm putreſcere & fœtere inciperēt. Propterea quod compertum eſſet Veſpillones iis corporibus fuiſſe abuſos ad turpitudinem: De his legendus eſt Herodotus in Euterpe: Diodorus Siculus lib. 2. cap. 5. & Plutarchus in Sympoſio Sapientum. Nonnunquam cum aromatibus immiſcebant gemmas, monilia, & alia eiuſmodi, quibus maximè vſi eſſent dum viuerent. Addebant etiam aliquando libros Magicos & Chimicos, aut qui continebant totam vitæ anteactæ ſeriem: plerunq; characteres inſerebant hieroglyphicos corticibus cedri, vel papyro, vel inteſtinis animalium mādatos, vel ſigilla metallica, clauſa phialis cryſtallinis, aureis, argenteis, vel aheneis, vel etiam onychinis.

Plebeii eundem modum ſepeliendi ſuos mortuos ſeruabant pro facultatibus vniuſcuiusque: Nam corpora benè lota, & ab omnibus fecibus & excrementis expurgata nitro vel ſale tegebant, & aromatibus minùs exquiſitis & precioſis linibant, interdum melle, vel cera tegebant. Vnde fit vt Mumia illa, quæ ex Ægypto in Europam adfertur ad vſus Medicos, cum nihil aliud ſit, quàm cadauera defunctorum condita, alia aliam longe ſuperet dignitate & efficacia, prout balſami copia, & aromatibus precioſioribus conſtat. Non enim dignitas ex carnibus humanis cenſetur, ſed ex aromatibus, quibus humana corpora tecta, & imbuta ſunt. Vnde apparet ridendam eſſe ignorantiam eorum, qui hanc Mumiam dicāt eſſe cadauera mortuorum, qui ſuffocantur in deſertis, incurſu arenarum mobilium, quas venti agitant & aceruatim accumu-

cumu-

cumulant, & coaggerant in illis ſolitudinibus aridis & ſiticuloſis, imo non deſunt hodie chirurgi qui ex patibulis mēbra ſuſpenſorum detrahant arida & ſole torrefacta, quæ ad vſum ſuum ſine magno fructu adplicant. Certum enim eſt corpora principum & magnatum, in quorum funeribus tam precioſa impenſa ſunt aromata, multo plus efficaciæ habere, quàm plebeiorum, in quibus condiendis nihil præter ſal, mel, nitrũ, vel ceram impenſa ſentiunt diligentes talium rerum & docti exploratores.

Iudęi eundē morem ſepeliēdi ſuos ſeruauerunt, ſed minùs exquiſitè. Nã, vt refert Strabo lib. 16, & Ioſephus vltimo Geneſis, corpora mortuorũ lota priùs & expurgata tegebãt bitumine & aſphalte, ꝙ naſcitur in lacu Gomorrhæ. Iacobi Patriarchę corpus hoc modo curauit Ioſephus eius filius per dies quadraginta, leſſum celebrante Ægypto per dies ſeptuaginta.

Æthiopes, vt refert Diodorus, & Sextus Empiricus, ſuos mortuos in fluuios & mare demergebant, vt à piſcibus deuorarentur: potiſſimùm Ichthyophagi.

Macrobij, teſte Herodoto, corpora, defunctorum gypſo tegebant, priùs tamē lento igne exſiccata: quæ poſtea feretro vitreo includebant, & per annum integrum videnda omnibus exponebant: ijſq; proponebantur edulia, & omne ciborum genus, quibus in vita fuiſſent delectati: exacto tandem anno ea ſepulchro mandabant.

Scythas morem hunc habuiſſe refert Herodotus in Melpomene, vt quoties rex vel princeps moreretur, vna ex cõcubinis vel vxoribus, quam præter cæteras maritus adamaſſet, viua ſepeliebatur cum mortuo ſplendidis ornata veſtibus, & omni mundo muliebri: neq; id ſine contētione fieri erat ſolitum inter vxores vel concubinas, decertantes inter ſe cõmemoratione beneficiorũ, & oſtenſione munerũ, quæ à viuente acceperant amoris teſtimonia. Et hunc morem ſeruatũ fuiſſe ſcriptores teſtãtur, non ita pridem à Caicis Principibus oriētalibus. Cum vxore ſimul ſepeliebatur pincerna, coquus, ſtabularius, cubicularius, & curſor: qui ſoli in futura vita cum Principe habitare, & eadē beatitate fruiſci credebãtur. Anno exacto poſt ſepulturam, quinquaginta ſelectiſſimos equos

ſtrangulabant, quibus totidem adoleſcentes imponebant: quos omnes affixos validis palis ſtatuebant tumulo altiore, quo defuncti Caici corpus ſepultum iacebat. Qui autem fortunæ eſſent tenuioris: corpora ſuorum mortuorum exenterata & præparata curru tecto circumuehebant, amicis & cõſanguineis ſequentibus funus quibus opiparũ adponebatur cõuiuium: ac poſtquam oẽs funebribus epulis eſſent ſaturati, tum demum corpus inhumabatur ſpectãtibus omnibus.

Indi antequam ad decrepitam perueniſſent ætatem, & morbis eſſent ſubiecti, incommodiſq; quibus anxium redditur ſenium, premerentur, ſuos maturè immolabant, & ſolẽnibus epulis poſt ſacra peracta in partes corpora mactata cõſcindebant, & comedebant, viri viros, & fœminæ fœminas. Qui autem inter illos Philoſophiam profitebatur, ſenex redditus publicè per præconem funebrem proclamari iubebat ſe paratum eſſe ab hoc imbecillo corporis ergaſtulo diſcedere, vt vita meliore frui poſſet: ideo rogabat omnes conuenire in deſtinatum locum, vbi ſtructa ingenti pyra, multa præfatus de immortalitate animæ, lætus & hilaris ſe in ignem præcipitabat præſente omni populo: quod ſpectante Alexandro magno factitatum eſſe legimus à quodam Calano Gymnoſophiſta Indo: qui ſine doloris vllo ſenſu viuus crematus eſt & ſub Auguſto Cæſare idem præſtitit Athenis quidam Zarmanotegas, qui ſpectante tota ciuitate ſe igni conſumendum vltro commiſit.

Iberi Colchidis prope Trapezuntem, ſuos vulturibus deuorandos præbebant, & oſſa humo tegebant, vt ſcribit Silius Italicus lib. 3. bellorum Punicorum. Iberos hos vocamus hodie Georgianos, vicini ſunt Armenijs, Chriſtianam ſequentes religionem, ſed Perſæ Scacho militantes.

Naſamones in Libya vel mortuos in mare demergebant, vel ſedentes arenis tegebant.

Hircani ſuos exponebant canibus ſepulchralibus, qui ad hunc vſum publicè alebantur, hanc rationem adferentes, quòd ex omnibus animalibus quæ cum homine conuerſantur, nullum eſt cane fidelius.

Græci, qui reliquas oẽs nationes ſcientiarũ cognitione, comitate

mitate & humanitate ſuperarunt, ſuorum mortuorum corpora cremabant: & oſſa quæ ſupererant collecta cum cineribus, vrnis vel alijs vaſibus incluſa cõditorijs & ſepulchris inſerebant: exiſtimantes id non abs re fieri: nam quod in nobis eſt diuinum, igneæ naturæ eſt, & ad altum tendit: ideo igne exceptum facilius aſcendit ad cœlum, humi relicta parte ſui craſſiore, quæ terrenæ ſubſtantiæ conformis eſt, quod Lucretius hoc modo deſcribit:

*Cedit item retrò de terra quod fuit antè*
*In terras: & quod miſſum eſt ex ætheris oris,*
*Id rurſum cœli fulgentia templa receptat.*

Alij hac crematione quærebant in hoc mũdo ſubtiliorem purgationem animarum, quæ ſubmerſæ ſanguine & humoribus corporis, multum de ſua perfectione amittunt. Ideo Heraclitus ſcripſit æquum eſſe vt hæc corpora, quæ ex igne ſuum habent principium, in ignem reſoluantur. Thales tamen Mileſius cenſuit præſtantiùs eſſe hominibus terra inhumari, vt citò reſoluerentur in primam materiam, vnde ſuam habent originem. At conſtat comburendorum corporum poſt mortem conſuetudinem fuiſſe antiquiſſimam: vt patet in ijs Principibus qui ad Thebas cæſi ſunt: quorum cadauera ſolemnibus ceremonijs & apparatu cremata ſunt, excepto Capaneo, qui quia fulmine ictus fuiſſet à Ioue, propter inſultationem blaſphemam in Deum, tanquam execratio & anathema ſeparatim datus eſt rogo, in quem Euadne vxor, maritum ſingulari amore proſecuta, precioſis, ornata veſtibus & monilibus, inſilijt, & ſe in ardentem pyram præcipitauit, vt mariti funus honoraret, quod execratum alijs videbatur. Certum tamen eſt Græcos quoque ſuos mortuos ſepeliuiſſe integros: quæ inſtitutio à Cecrope (qui Ægyptius fuit apud quos corpora comburere nefas erat) ortum duxit, Poſtea is mos inhumãdi ad legiſlatores Solonem & Draconem tranſijt: qui legibus mandarunt terram coli debere, vbi mortuorum corpora ſepelirentur: vt eius ſuperficies non eſſet inutilis viuentibus, & interiora eius eſſent quaſi piæ matris gremium, in quod reciperet filios quos procreaſſet.

Romani hunc morem non ita priſcum habuerunt: Nam legimus Numam ſub Ianiculo ſepultum fuiſſe integro corpore. Et Ennius, de Scipione loquens, hoc illi ſcripſit Epitaphium:

*Heic eſt ille ſitu', cui nemo ciui' nec hoſtis*
*Quivit pro factis reddere operæ precium.*

Et Æneas dicitur ſitus & ſepultus ad ripam Numici, qui fluuius eſt Latij Ardeę vicinus, in quo Æneas ſubmerſus fuerat. Licet apud Feſtum legamus ex Agathocle Æneam ſepultum fuiſſe in Phrygia, in vrbe Berecynthia ad Nolum amnẽ, eiuſq; nepotem Romum in Italiam veniſſe, & Romam condidiſſe. Sed aliter ſentiunt Vergilius, Titus Liuius, & alij oẽs ſcriptores.

Mos autem comburendorum corporum cœpit bellis ciuilibus ſub Sylla & Mario: quo tempore nullum ſæuitiæ genus in hoſtes, & contrariam factionem omiſerunt exacerbati ciues. Sylla ipſe Dictator Marij defuncti, & ad Anienem ſepulti corpus terra detrahi iuſſit, & eius oſſa diſpergi, vt inhumata iacerent. Ipſe verò Sylla rerum potitus, & iam ſenex, mortique proximus, veritus ne illi poſt mortem idem contingeret, quod in Marium patrauerat, teſtamento mandauit, vt eius corpus poſt obitum in cinerem redigeretur. De quo ita Plinius lib. 7. cap. 54. Primus ex Patricijs Sylla cremari voluit, ne illi idem poſt mortem contingeret, quod in Marium commiſerat: & reliqua. Titus Liuius tamen lib. 8. dum de Manlio Conſule loquitur, qui filium capite truncari præcepit, quòd iniuſſu Imperatoris cum hoſte manus conſerere fuerat auſus, ait: Spolijs contectum iuuenis corpus, quantum mi-
„ litaribus ſtudijs funus vllum concelebrari poteſt, ſtructo
„ extra vallum rogo cremari iuſſit: Et id contigit ante Syllæ
„ mortem annis fere ducentis & ſeptuaginta. Plutarchus in vita Numæ aſſerit regem teſtamento vetuiſſe, ne corpus eius poſt mortem combureretur: quod teſtatur comburendorum corporum morem communem fuiſſe tam apud Græcos, quàm apud Latinos: licet plurimi omnibus ſæculis voluerint ſepeliri integri, alij in cinerem redigi: quæ

conſue-

conſuetudo à Sylla dictatore durauit vſque ad Antoninos. Macrobius qui ſub Hadriano vixit, ſcribit ſuo tempore morem cremandorum cadauerum ex maiori parte exoleuiſſe, de qua crematione lege Vergilium Æneidos 6. in ſepultura Miſeni: vbi morem conficiendi rogi ita deſcribit:

*Nec minùs interea Miſenum in littore Teucri*
*Flebant, & cineri ingrato ſuprema ferebant:*
*Principio pinguem tædis, & robore ſecto*
*Ingentem ſtruxere pyram, cui frondibus atris*
*Intexunt latera, & ferales ante cupreſſos*
*Conſtituunt, decorantq; ſuper fulgentibus armis,*
*Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis*
*Expediunt, corpusq; lauant frigentis, & vngunt:*
*Fit gemitus: tum membra toro defleta reponunt:*
*Purpureaſque ſuper veſtes velamina nota*
*Conijciunt: pars ingenti ſubiere feretro,*
*Triſte miniſterium: & ſubiectam more parentum*
*Auerſi tenuere facem: congeſta cremantur*
*Thurea dona, dapes: fuſo crateres oliuo:*
*Poſtquam collapſi cineres, & flamma quieuit,*
*Relliquias vino, & bibulam lauere fauillam*
*Oſſaque lecta cado texit Corynæus aheno.*

Apud Romanos hoc vſitatum legimus in iuſtis mortuorum. Cùm æger animam ageret, & morti proximus extremum duceret ſpiritum, aliquis ex conſanguineis aut amicis os ori admouebat, vt poſtremum vitæ halitum exſugeret; poſtea manu admota molliter illi comprimebat oculos, & claudebat palpebras & labia, vt mortis horrorem mitigaret, & oris diſtortionem corrigeret. Plinius lib. 11. cap. 37. hoc ideo fieri ſcribit, quòd oculi in homine primi moriantur: Neque æquum eſſet in hoc horrendo conflictu mortis cum vita, oculos videre pauenda deformitate miſerãdos. Morientibus, ait, illos operire, rurſumque in rogo illos patefacere Quiritium magno ritu ſacrum eſt, vt neq; ab homine ſupremum eos ſpectari fas ſit, & cœlo non oſtẽdi nefas. Mortuũ cadauer poſt obitum pollinctoribus cõmittebant,

 &libi-

& libitinarijs, qui id aqua calida diligentiſſimè abluebant, vnctumq; pro vniuſcuiuſq; facultatibus reſeruabant vſq; ad ſeptimum diem: poſtq; extremam acclamationem, aut rogo corpus imponebant, aut integrum ſepeliebant. Veſtimenta & tegumenta, quæ ad funera requirebantur in templo Libitinæ conducebantur, corpuſq; ſepeliēdum, ſi Plebeium eſſet, aut extremo ſupplicio affectum, Sandapila claudebatur, & à Sandapilarijs & veſpillonibus ſub veſperā deferebatur ad ſepulchrum cum funalijs, hoc eſt cum cereis, tædis, & facibus incēſis. Corpus autem defuncti pura ſyndone amiciebatur & tegebatur, feretroq; impoſitum efferebatur frequēti turba ſequentium cognatorum, amicorum, aut eorum qui inuitati eſſent ad funus, præcedentibus tubis, ſi grandis eſſet natu, aut fiſtulis lugubrè modulantibus ſi defunctus eſſet ætate iuuenili. Filij defuncti funus ſequebātur velato capite atrati: mulieres verò lineis albiſque veſtibus amiciebantur, vt ſcribit Plutarchus quæſtionum Romanarum 14. Tubæ peculiares his ceremonijs adhibebantur, quæ Siciniſtæ vulgò vocabantur. Magnus facum incenſarum numerus præcedebat & ſequebatur corpus: præferebatur imago cerea, quæ faciem defuncti exprimebat. Corpus verò mortuū lecto decumbebat tanquam ſomno ſopitum, velaminibus & linteis mundis contectum. Præcedebant Pontifices, Flamines, & reliqua ſacerdotum turba. Præferebātur imagines maiorum defuncti, inſignia, trophæa, coronæ, & reliqua ornamenta, quæ honorem funeris augere poterant. Proximus adſtabat Archimimus, qui mortui geſtus, mores, verbaque quantùm fieri poterat exprimebat. Poſtquam autem cadauer perlatum eſſet, in Campum Martium, aut in forum publicum, humi cum lectulo deponebatur. Tunc aliquis ex agnatione ſuggeſtum aſcendebat, vnde populo audiente habebat orationem funebrem, qua declarabat genus, virtutes defuncti, & merita in rempublicam, quicquid generosè, magnanimiter & fortiter egiſſet aut dixiſſet in vita. In hac pompa hymni decantabantur læti & canori, qui mortui laudes continebant. Alij ſubſequebantur qui flebili harmonia adſtantibus lacrymas eliciebant & eiulatum: idque fiebat potiſſimùm à mulieribus

lieribus

lieribus, quæ funus comitabantur, vocabanturque Præficæ. Harum munus erat planctu & acclamationibus funebribus triſtitiam mouere in animis ſequentium. Et hæ poſt exactas omnes ceremonias alta voce exclamabant. I, LICET. hoc eſt abſoluta ſunt omnia; & iuſta funeri reddita: Iam licet vnicuiqne domum reuerti. Tunc aqua luſtrali & ramo oliuæ ſpargebant populum, & omnem turbam dimittebant, his verbis: Vale vale vale: nos te « ordine quo Natura permiſerit ſequemur. His peractis cor- « pus integrum ſepulchro imponebatur, vel cineres in vrnas congeſti cum oſſium reliquijs conditorio adplicabantur, plerumque cum multis rebus precioſioribus, quibus in vita homo fuerat delectatus, aliquando phialæ vitreæ continentes amicorum lacrymas ſepulchro inſerebantur, vel vaſcula alia cum libaminibus lactis & vini: interdum etiam lampades oleo plenæ cum reliquijs imponebantur.

In obſequijs Principum & Magnatum ludi gladiatorij exhibebantur, & duella: conuiuiaque opipara præparabantur cognatis & amicis: ad hæc fiebant viſcerationes quæ erant donaria carnium diſtributa in populo.

Aliæ quoq; funerum curationes fiebant apud Romanos: Vera funera dicebantur, quando mortuorum corpora ordine quem priùs deſcripſimus, aut cremabantur, aut ſepeliebātur, leſſum ducentibus agnatis & conſanguineis, amiciſque pullatis, reliquiæq; cum cineribus vrnis inſertæ claudebantur ſepulchris: quibus imponebantur arulæ marmoreæ, vel columnæ, vel cippi, aut tabulæ, quibus inſcribebantur epitaphia, & ad quæ quotannis coronæ ex floribus adplicabantur, vel vinum & liba ſacrabantur, aut etiam victima cædebantur dijs Manibus, ex qua epulum funebre fiebat cognationi & amicis.

Funera alia dicebantur Indicta vel Cenſoria, quæ denunciabantur per præcones Cenſorum iuſſu. Ea autem erant, quæ ſelectiore pompa, ceremonijs, & ſumptu maiore fiebant: quæque permittebantur non cuilibet ſed ijs potiſſimùm qui potentia & autoritate inter ſuos præſta-

bant,

bant, quiq; de republica erant benè meriti, vel qui maiorum gloria erant celebriores: dicebanturq; ſub aſcia fieri, & ſepulchra ſub aſcia dedicata,quę legibus non permittebantur plebeijs, vel inferioris conditionis hominibus: ne heredum facultates imminuerentur,& vt ſuperflui ſumptus à ciuitate,& republica benè conſtituta remouerentur.

Translatiua funera erant Plebeiorum tãtùm,& ea quibus nihil præter communem conſuetudinem adplicabatur: ſed tantùm corpore cremato,vel ſepulto, ſacrificium fiebat Dijs Manibus: & epulum funebre celebrabatur ex cæſa victima inter cognatos & curatores funeris, qualia fere omnia vulgaria fiebant.

Imaginaria alia vocabantur,cũ is,cuius efferebatur funus, in exteris ac remotis regionibus vita caſſus erat: illius aũt abſentis funus per imagines celebrabatur, quæ faciẽ mortuorũ præ ſe ferebant: & illi ſepulchrum honorarium (quod Græci κενοτάφιον vocant)conſtituebatur: vt Suetonius in vita Claudij adnotat: dum de Druſo eius patre loquitur. De hoc monumenti genere Vergilius tertio Æneidos ſcribit: vbi Andromaches mentionem facit,quæ Hectori priori marito parẽtat in Epiro, dum ex inſperato illi occurrit ſacrificanti Æneas ex Phrygia in Italiam nauigans.

*Solemnes tum forte dapes, & triſtia dona*
*Libabat cineri Andromache, Maneſq; vocabat*
*Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem*
*Et geminas,cauſam lacrymis,ſacrauerat aras.*

Loca interim quę à Põtificibus deſignabãtur ad ſepulchra, duplicia erant,vel dicebantur Gentilia,quę ad integram gentem,familiam,& conſanguinitatem pertinebãt, & in his ſine differẽtia omnes mortui ex agnatione ſepeliri poterant. Alia dicebantur familiaria,quę tantùm vni familię propria erant, neq; licebat cuiquam alij ex eadem gente ſine peculiari dono in ea inferri. Erant & alia Hereditaria,quę ad Heredes defunctorum, qualeſcunque eſſe poſſent, ſiue conſanguinitatis Iure,ſiue teſtamento lecti,tranſibant. Alia erant, quorum vſum heredibus demebant peculiari inſcriptione H. M. H. N. S. hoc eſt,hoc monumentum heredes non ſequitur.

Sepulchro-

Sepulchrorum nomina diuerſa leguntur apud autores. Dicũtur enim vel Sarcophagi, vel Sepulchra cum titulis, vel extra ſortem, vel ſtatuarum, vel militaria quæ erant cippi vel columnulæ concauæ, in quibus cineres locabantur: Vnde & loculi vocabantur cauitates illæ ſepulchrorum quæ continebant cineres cum oſſibus & reliquijs cadaueris. Polyandria dicebantur à Græcis loca ſepulturis deſtinata, quę cœmiteria vulgò nominantur, quòd in ijs iaceant & quieſcant multorũ corpora. Campum ſanctum vocãt Itali, Germani Gots acker/ hoc eſt agrum Dei, propterea quòd ſacer ſit & ſanctus, ab vſu ad quem ſelectus eſt.

Tumbam Galli vocant lapidem ſepulchralem, quẽ Græci τύμβον: à quo Tymbades veneficæ vocitantur, quæ frequentes ſint circa mortuorum ſepulchra, vt inde incantationibus & exorciſmis Manes eliciant ad Magica præſtigia.

Cryptæ & Hypogea ſunt ſubterranea loca, in quibus corpora defunctorum ſepeliũtur in templis vel cœmiterijs: qualia videntur plurima apud Gallos in ſacellis nobilium: ſunt enim cellulę fornicatæ, in circuitu loculos diſpoſitos habẽtes, in quibus corpora locantur. Conditorium appellat Iouianus Põtanus, quod eſt in eius ſacello Neapoli: cui eſt inſcriptum, AB HOC PONTANORVM CONDITORIO NE MAS NE FEMINA EX AGNATIONE ARCEATVR. In eiuſmodi locis concameratis & ſubterraneis fiebant Alueoli ſiue alueola, loculi ſiue loculamenta, arcæ, ſolia, vrnæ, & ollæ, quæ fiebãt ex coctili lapide, ex marmore, alabaſtro, metallo, ebore, iaſpide, porphyro, vel alia aliqua materia precioſa, prout ferebant locupletum facultates.

Lectus vel lectulus, feretrum & Sandapila, & capulus dicebantur, quibus corpus demortui in funere efferebatur.

Suggrundia antiquis vocabantur ſepulchra infantium, qui nondum attigerant diem quadrageſimum.

Coragium erant exequiæ virginum.

Exequiæ pompa erant illa dum funus efferretur.

Reliquiæ dicebantur cineres & oſſa mortuorum.

Conditum corpus erat cadauer mortui quoquo modo ſepulti.

# DE APOTHEOSI.

SATIS ſuperque opinor, licet breuiter, ſuperiùs oſtendimus, qui mos fuerit antiquitus apud diuerſos populos ſepeliendi mortuos. Quorum pars maior reſurrectionē poſtremam expectantes, corpora defunctorum ita præparabant, vt ab omni putrefactione vindicata, videbātur poſſe integra reſeruari vſq; ad conſummationē ſæculorum: quando iubente Deo Opt. Max. animæ ſuis corporibus reſtitutæ ſimul fruentur æterna beatitate. Cuius opinionis fuerūt Indi Gymnoſophiſtę, Chaldæi, Ægyptij, Græciq; permulti: ſed potiſſimū Iudæi, qui hanc doctrinam acceperunt à pijs patribus, ſucceſſoribus Noe, Semi, & aliorum Patriarcharum, qui à Deo peculiariter edocti, ſcriptis tradiderunt hanc tam vtilem & ſalutarē doctrinam, & ad Chriſtianos eiuſdem fidei participes trāſmiſerunt. Multi tamen apud antiquos corporis huius imbecilli corruptibiles exuuias contēnentes, quod erat mortale & terrenum humo reſtituerunt, de anima tantùm ſolliciti, quæ ad Dei ſimilitudinem formata, poſt vitæ ſolutionem tanquam immortalis ad ſuum conditorem & principium reuertitur. Hinc factum eſt vt cremandorum corporum conſuetudo apud omnes recepta ſit: nempe vt per ignem purificatæ animæ, quicquid labis à terreno ergaſtulo (quo aliquandiu clauſæ, tanquam carceris cuſtodia difficili fuerant) contraxiſſe videbantur, id reſolutis in cinerem membris totum exuerent. At præter ea quæ in præcedentibus adnotauimus, alium Romani præcipuè modum obſeruauerunt in ſepultura ſuorum Principum: quos propter inſignia per totam vitam geſta, & egregia in rempublicam merita, diuinitatis participes eſſe crediderunt. Ideo ceremonijs exquiſitioribus, & magnificentioribus ſumptibus eorum funera procurauerunt: & eos autoritate publica, vnanimoq; omnium conſenſu inter Deos retulerunt, & Indigetes communi ſententia vocauerunt. Hæc conſecratio fiebat ſolemni apparatu: Congerebantur vndiq; donaria ex aromatibus, & precioſiſſimis odoribus, quæ ab amicis, conſanguineis, magnatibus & opulentioribus Populi Romani ciuibus, imo ab externis regibus

& Princi-

& Principibus,cæteriſq; populis Romano Imperio ſubiectis mittebantur: quæ ſimul exſtructo ad id altiſſimo tabernaculo ligneo diuerſis periſtromatibus purpureis clauatis, auroq; diſtinctis circunſepto,& alijs ornamentis excellentioribus referto,plenoq; ſiccis fomitibus, vnguentis, tædis,& alia materia arida,quæ facilè ignem conciperet,in vnum congerebantur: in hæc iniectæ flammæ,ſubitò rogum ingentem & odoriferam pyram excitabāt, qua abſumebatur corpus defuncti Principis,ſpectāte Senatu totoq; Populo,fauſtis acclamationibus,& hymnis ſacris celebrante nomen mortui. Cumque flammæ in altum exſurgerent, dimittebatur ex ſuperiore tabernaculi conflagratione aquila,quæ ſimul cum fumo in altum eleuata, credebatur animam defuncti in cœlum deportare: vbi cum Ioue & ſuperis recepta diuinitatem induiſſe putabatur: ac deſuper in terras deſpiciens neceſſitatibus mortalium cōſulere & opitulari. Tum mactatis ſolemniter victimis per Flamines ſacros, & ſacerdotes ad ſacra hæc deſtinatos,numen noui Dei incipiebat inuocari.Hunc cōſecrationis morē Romani mutuaſſe videntur à Græcis, qui ſuos quoq; Principes & Heroas cōſecratos inter Deos publicis ceremonijs referebant:diuinos illis honores tribuentes,templaq;,quæ Heroa appellabant illis ſtatuentes. Et hanc conſecrationem dicebant ἀποθέωσιν. De qua A.Prudentius in Auguſto Cæſare:

*Hunc morem veterum docili iam ætate ſecuta*
*Poſteritas, menſa atq; adytis, & Flamine, & aris*
*Auguſtum coluit, vitulo placauit, & agno.*
*Strata ad puluinar iacuit, reſponſa repoſcit:*
*Teſtantur tituli, produnt conſulta Senatus,*
*Cæſareum Iouis ad ſpeciem ſtatuentia templum.*

Hæc quia diffuſè ac diſtinctè deſcribuntur ab Herodiano lib 4.c.2.in Apotheoſi Septimij Seueri,placuit auctoris verba heic inſerere,ad Lectoris delectationem.Mos,inquit,eſt Ro- „
manis conſecrare Imperatores,qui ſuperſtitibus filijs,vel ſuc- „
ceſſoribus moriuntur. Quiq; eo ſunt honore affecti,relati di- „
cuntur inter Deos.Eſt aūt tota vrbe quaſi luctus quidam feſtę „
celebritati promiſcuus.Quippe vita functū corpus ritu homi „
nū ſuperſtitioſo funere ſepeliunt.Sed certā imaginē defuncto „

,, quàm ſimillimā fingunt, eamq; in Regię veſtibulo proponūt
,, ſupra eburneū lectum maximum atq; ſublimem, veſtibus in-
,, ſtratum aureis. Et quidem imago illa ad ægroti ſpeciem pal-
,, lida recumbit. Circa lectum verò vtrinq; magnā partem diei
,, ſedent, à lęua quidem Senatus omnis veſtibus atris amictus: à
,, dextera verò matronæ, quas virorum aut parentum dignitas
,, honeſtat. Harumq; nulla vel aurum geſtans, vel ornata moni-
,, libus conſpicitur; ſed veſtibus albis exilibus indutæ, mœren-
,, tium ſpeciem præbent. Hæc ita per ſeptem dies continuos fa-
,, ciunt, Medicis ad lectum quotidie accedētibus, inſpectum-
,, que velut ægrū deteriùs ſe habere ſubinde pronunciantibus.
,, Dein vbi iam viſus obijſſe diem, lectum humeris attollunt E-
,, queſtris Senatorijque ordinis nobiliſſimi ac lectiſſimi Iuue-
,, nes: perque viam ſacram ad vetus forum deferunt, vbi Magi-
,, ſtratus Romani deponere imperium conſueuerant. Vtrinq;
,, autem gradus quidam ſunt ad ſcalarum ſimilitudinem con-
,, ſtructi: in quibus altera ex parte puerorū chorus eſt, è nobiliſ-
,, ſimis atq; Patricijs: altera feminarum illuſtriū, hymnos in de-
,, functum pæanaſq; canentium, verendo ac lamētabili carmi-
,, ne modulatos. Quibus peractis, tollunt iterum lectum, atque
,, extra vrbem perferūt in Martium campum: vbi quà latiſſimè
,, Campus patet, ſuggeſtus quidā ſpecie quadrangula lateribus
,, æquis aſſurgit, nulla præterquàm lignorum ingentiū materia
,, compactus in tabernaculi formam. Id quidem interiùs totū
,, eſt aridis fomitibus oppletum: extra autem intextis auro ſtra-
,, gulis, atq; eboreis ſignis, varijſque picturis exornatum. Supra
,, verò alterum minuſculum quidem poſitum eſt, ſed forma &
,, ornatu perſimile, portis ianuiſque patentibus. Tertiumque
,, item, & quartum ſemper inferiore contractius: ac deinceps
,, alia, donec ad extremum, quod eſt omnium breuiſſimum,
,, perueniatur. Poſſis eius ædificij formam comparare turribus
,, his, quæ portubus imminentes, noctu igne prælato naues in
,, tutas ſtationes dirigunt. Pharos vulgò appellant. Igitur lecto
,, in ſecundum tabernaculum ſublato, aromata & ſuffimenta
,, omnis generis, fructus, herbaſq;, ſuccoſque omnes odoratos
,, conquirūt, atq; aceruatim effundunt. Quippe neq; gens eſt,
,, neque ciuitas, neque qui honore vllo, aut dignitate pręcellat,
quin

quin certatim pro ſe quiſq; ſuprema illa munera Principis ho- ,,
nori deferant. Vbi verò ingens aromatũ aceruus aggeſtus eſt, ,,
ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitãt ,,
vniuerſi equeſtris ordinis certa quadam lege ac recurſu, mo- ,,
tuq; Pyrrhichio, numeroq; in orbem recurrentibus. Currus ,,
item circumaguntur inceſſi purpuratis rectoribus, qui perſo- ,,
nas ferant Ducum omnium Romanorũ, Principumq; illu- ,,
ſtrium. Quę vbi celebrata ſunt, facem capit Imperij ſucceſſor, ,,
eamq; tabernaculo admouet. Tum cæteri oẽs vndiq; ignem ,,
ſubijciunt: cunctaq; illico fomitibus illis aridis, odoramentiſ- ,,
que referta, igni valido corripiuntur. Mox ab extremo, mini- ,,
moq; tabernaculo, tanquã è faſtigio quodã, ſimul cum ſubie- ,,
cto igni aquila dimittitur, quę in cœlum creditur ipſam Prin- ,,
cipis animam deferre. Ac iam ex illo vna cum cæteris Numi- ,,
nibus Imperator colitur. Hactenus Herodianus. Forma eiuſmodi tabernaculorum videtur expreſſa in nummis aureis Antonini Pij, & M. Aurelij. Aquilæ verò deportantis ad Superos animam Principis defuncti figura cernitur in numiſmate Marci Aurelij Antonini aheneo: Et Fauſtinæ vbi pro aquila pauo ſculptus eſt: nimirum innuebant Auguſtæ animã Prouidentia Iunonis (cuius ales pauus eſt) ad cœleſtes deportatam: Neque defuerunt adulatores qui Auguſti animam ſe vidiſſe aſſeuerarent rogo funebri ſuperuolitaſſe, tandem aquilæ inſediſſe, & in altum euolaſſe. Eius Apotheoſim his verbis deſcribit Dion Nicæus, in Auguſto ſub finem.
Poſtquam eiuſmodi præcepta recitata ſunt, funus effertur. ,,
Erat lectus ex ebore & auro factus, ſtratus atq; ornatus peri- ,,
petaſmatis purpureis, atque auro intextis: ſubter quę tanquã ,,
in feretro corpus eius iacebat occultum. Ante omnia ſtatua ,,
cerea veſtitu triumphali videbatur, eaq; ferebatur ex Palatio ,,
ab ijs qui erant in ſequenti anno Magiſtratus futuri. Deinde ,,
ex Curia altera aurea, Tertia curru triumphali vehebatur: ,,
ſubſequebanturq; ſtatuæ Maiorum ipſius, atque propinquo- ,,
rum, qui è vita diſceſſerãt, aut tantũ Cæſare excepto: propter- ,,
ea quòd eſſet in numerũ Heroum relatus. Ferebantur deinde ,,
ſtatuæ Ciuium Romanorum, quicunq; Principatum vnquã ,,
tenuerant, capto ab ipſo Romulo exordio. Sed & quædam ,,

,, Pompeij Magni ſtatua ferri viſa eſt. Aderant etiam omnes
,, Prouinciæ pictæ, atque nationes, quæ partæ ab eo fuerant,
,, & deuictæ. Poſt hæc lectus ſiſtitur in Roſtris, vbi ſolebat ha-
,, beri concio. De quo loco vbi Druſus legiſſet nonnulla, Ti-
,, berius Auguſtum pro Roſtris, quæ Iulia nominantur, apud
,, Populum decreto Senatus laudauit. Tum qui lectum antea
,, ferebant, eundem tulerunt porta triumphali, vt Senatus de-
,, creuerat. Aderat autem Senatus preſens, mortuumque pari-
,, ter efferebat. Aderant quoque omnes equeſtris ordinis, eo-
,, rumque vxores. Intererant Prætoriani milites, cæterique o-
,, mnes fere, qui tum in vrbe erant. Cùm eſſet impoſitus in ro-
,, gum extructum in Campo Martio, eum primò cuncti Sacer-
,, dotes circumeũt, deinde Equites, poſt ij qui Magiſtratu fun-
,, gebantur: poſtremò cæteri milites, qui erant in præſidijs Vr-
,, bis, concurrunt; præmiaq; victoriæ, quæ acceperant ob præ-
,, clara facinora, dum in eius exercitu militarent, in eum conij-
,, ciunt. Rogũ centuriones poſtea admotis facibus incendunt.
,, Is comburitur. Mox aquila ex rogo demiſſa, quaſi animam
,, Auguſti in cœlum ferret, euolauit. Peractis his rebus omni-
,, bus, cæteri abeunt. Liuia in eodem loco cum primarijs equi-
,, tibus mãſit dies quinque, oſſaq; eius collegit, & ſepeliuit: viri
,, in luctu fuerunt perpaucos dies, vt erat conſuetudo. Matro-
,, næ eum decreto Senatus annum luxerunt. Ex his apparet
,, quantum fuerit antiquitus circa funera ſtudium, quanta cu-
,, ra & ſedulitate, quantiſque ſumptibus omnia impenderint,
,, quæ ad honorem mortuorum facere videbantur, & eorum
,, memoriam poterant ad poſteritatem propagare.

Romani ſua ſepulchra circa vias regias vt plurimùm con-ſtituebant, additis tumulis & aris, quibus mortuorũ corpora tegebantur: Et hæc ornabant aliquando inſignibus marmoreis, obeliſcis, terminis, columnis, cippis, & pyramidibus prout ferebant vniuſcuiuſq; facultates. Extra pomœria tamẽ erigebantur hæc ſepulchra: exceptis Regibus, Veſtalibus virginibus, & Imperatore, qui triumphum erat adeptus. Ijs peculiari priuilegio concedebatur in Vrbe ſepeliri, poſtquam eorum corpora extra vrbem fuiſſent cremata.

Sepulchrorũ forma diuerſa fuit, pro vniuſcuiuſq; voluntate,

tate, aut facultatibus, proque inuẽtione artificum, qui marmoribus inſcidebãt diuerſa emblemata, ſigna deorũ, animalia diuerſa, aquilas, Sphinges, arbores, & alia eiuſmodi quibus conceptũ mentis ſuæ exprimebãt. Plerunq; etiã exſculpebãt ſtatuas defunctorũ vel nudas, vel veſtibus amictas, vel integras, aut pectore tenus: cuiuſmodi plurima videre poteſt Lector, tam in hoc ſecũdo volumine, quàm in priori iam edito.

Ex ſepulchris quę hodie extant omniũ ſumptuoſiſſimum iudicari debet id quod ad portam S. Pauli propè montem teſtaceum circo Olympico Romæ: Pyramis enim eſt ex puro marmore cãdidiſſimo: quę vt inſcriptio indicat, C. Ceſtij ſeptemuiri Epulonum fuit Sepulcrum: opus abſolutum cxxx. diebus. Quidã exiſtimant non ſolum Ceſtij cineres in eo monumẽto reconditos fuiſſe, ſed locum fuiſſe cõmunem toti Epulonũ collegio. Erant enim Epulones ſacerdotes conſtituti à Pontificibus ad præparandas Epulas ſacras & conuiuia, quę celebrabantur in ludis exhibitis numinibus Deorũ. Eorum enim munus erat cœnas illas Pontificũ ꝓclamare & opiparè cõdire, maximè in Epulo Iouis. Quotieſcunq; autem aliquid omiſſum animaduertebant in his ferijs & ſolẽnitatibus: id ad Pontifices referebant, vt eorum conſilio & animaduerſione quicquid omiſſum eſſet, aut deprauatè factum in ſacrificijs aut ceremonijs religionis, id emendaretur, corrigeretur, & reduceretur in integrum. Græci hos Epulones vocabant φράτορας: genus hominum circa cupedias & condimenta magis occupatum, quàm circa rem diuinam. Nihil enim tractabant præter cibos, comminiſcentes quicquid ad benè curandam cuticulam faceret: paraſiti, coqui, & lurcones.

Eſt & aliud ſumptuoſiſſimum ſepulchrũ ad viam Appiam, propè circũ ſiue Hippodromũ Caracallę, ꝙ forma rotũda inſtar turris ampliſſimæ ſtructũ eſt ex cãdido marmore: dedicatũ Cęcilię Metellæ vxori Craſſi; in cuius circuitu ſculpta ſunt boum capita diuerſa, cũ patinis ſacrificiorum: & ea turris vocatur Capo di Boue, Sed de his pauca diximus ſuperiore libro; ſicut & de Mauſoleo Auguſti Cæſaris, de Mole Hadriani, de Septizonio Seueri, & alijs. Colũnæ item illæ cochlides Traiani & Antonini Pij, quę adhuc Romę erecta ſũt integrę,

pro ſepulchrorum ornamētis habitæ ſunt. Nam in ſuperiore earum parte ſeruabātur Imperatorū cineres, ad quos aſcenſus patebat per gradus: de his duabus colūnis tractauimus in noſtra Topographia Vrbis Romæ. De Mauſoleo Auguſti ruinæ tantum reſtant ad Portam Flumētanam prope templum S. Rochi: cuius ſtructura erat ex latericijs rhombis, opere reticulato: pars exterior tecta erat marmore Pario condido: conſtagnationes quatuor videbātur, in quibus arbores frequētes erāt plantatæ, quæ ſua vmbra locum reddebāt amœniorem. Totumq; hoc ędificium altum fuit pedes CCCLXXV. cōtinebat in medio ſui areā, quæ in diametro habuit pedes CCLXV. Ab eius parte poſteriore lucus erat denſus & opacus, cū porticu ſiue deābulacris: in Mauſolei ſummitate erecta fuit Auguſti ſtatua coloſſæa ahenea & auro perfuſa, de his omnibus nihil reſtat præter ruinas, & duos obeliſcos ex Thebaico ſiue ophite marmore, qui humi iacent fracti.

Quod ad obeliſcum illum Vaticanum attinet, factum ex ophite orientali duriſſimo, qui præter baſim longus eſt pedes $107\frac{1}{2}$. in parte inferiore latus ped. 12. min. 5. In ſummitate
1585. verò latus ped. 8. min. 5. Is ſitus erat in circo Caij & Neronis. Sed iubente Xixto ſexto Pontifice Maximo moles illa ingens lapidea ad templum Vaticanum poſita ſuo loco dimota eſt, opera Dominici Fontanæ Nouo comenſis Architecti noſtra ætate ingenioſiſſimi, qui conſtructis ad id opus admirandis machinis obeliſcum illum ponderantem libras 956148. è baſi ſua ſuſtulit, & humi illæſum ſummo omnium miraculo ſtrauit, iterumq; erectum tranſtulit in aream Vaticanam ante Pōtificis palatium, & in nouam erexit baſim, ex eius parte ſuprema ſublatus eſt globus ille aheneus deauratus, qui ſuperioribus ſæculis falsò creditus eſt C. Iulij Cæſaris cineres continuiſſe: ſed id experientia docuit falſum fuiſſe, nam in eo nihil fere pulueris repertū eſt, præterquàm pauxillum, quod ſucceſſu temporis ab annis pluſquàm mille & quingentis contractum fuerat. Neque vllus inuenitur hiſtoriographus, qui vnquā ſcripto tradiderit obeliſcos olim erectos fuiſſe, vt ſuſtinerent vrnas vel cineres regum aut Principum, ſed ad ornamenta ſepulchrorum illuſtriorum adplicabantur,

bantur, aũt in circis, vel deorũ tẽplis: erantq; Soli ſacrati Plin. lib. 37. c. 8. ſcribit Mithrẽ Ægyptiorũ regem qui Heliopoli regnauit, primũ obeliſcũ poſuiſſe ſomnio monitum, quẽ Soli ſacrũ eſſe voluit. Hũc alij reges poſteri ſunt imitati maximiſque laboribus & ſumptib. alios excidi iuſſerũt, quos publicè ſtatuerũt. Sochis enim quatuor numero erexit, quadragenorũ & octonum cubitorum lõgitudine. Ramiſes (ſub quo Iliũ captũ eſt) aliũ poſuit quadraginta cubitorũ, itemq; ſecũdum longitudine vndecenis pedibus, per latera cubitis qutuor. Et capite ſequẽte addit Plinius, obeliſcũ Thebaicũ perfectũ fuiſſe opera viginti milliũ hominũ: quẽ dũ rex ſubrecturus eſſet, vereretur q; ne machinæ põderi nõ ſufficerẽt, quò maius periculũ curæ artificũ denũciaret, filium ſuũ adligauit cacumini: vt ſalus eius apud moliẽtes prodeſſet lapidi. Alios duos erexerunt Smarres & Eraphius ſine notis, quadragenũ octonũ cubitorũ. Ptolomæus Philadelphus vnũ poſuit Alexãdriæ octoginta cubitorũ, quẽ Nectabis rex exciderat. Alexãdriæ quoq; alij duo fuerunt in portu ad Cæſaris tẽplum quadragenũ duũ cubitorũ, quos excidit rex Meſphees. Sed magnus ille obeliſcus, quẽ Auguſtus in circo maximo erigi iuſſit, factus erat à rege Sẽneſerteo, cẽtum & viginti pedum & dodrãtis, præter baſim ex eodẽ lapide confectã. Qui autẽ fuit in Campo martio ab eodẽ Auguſto poſitus, quique adhuc hodie videtur in cellis ſubterraneis domorũ prope Doganam veterẽ, fuit nouẽ pedũ ſuperiore minor, à Seſoſtride rege exciſus: inſcripti ambo literis hieroglyphicis, rerũ naturæ interpretationẽ Ægyptiorũ opera Philoſophiæ continent: At hic poſtremus in Cãpo Martio poſitus eſt ad deprehendendas Solis vmbras, dierumq; ac noctiũ magnitudines, ſtrato lapide ad obeliſci magnitudinẽ. Cui Manlius Mathematicus in apice pilã auream addidit: cuius vertice vmbra colligeretur in ſemetipſam, alia atq; alia incremẽta iaculante apice. Hinc obeliſcorũ vſum cognoſcimus non ad ſuſtinẽdos cineres mortuorũ fuiſſe inuentũ, ſed ad ornamenta locorũ publicorũ, monumentorumq;: fuiſſeq; propriè Soli ſacros, ideo factos in ſpeciẽ radij Solaris.

De Sepulchrorum autẽ magnificentia decertarunt Ægyptij reges cũ omnibus totius orbis Principibus, vt tradit Herodotus in Euterpe. Cuius rei teſtimoniũ illuſtre perhibẽt in-

ſanæ illæ Pyramidum moles, quæ adhuc hodie ſpectantium miraculo in Ægypto, monte ſaxeo erectæ, diſtantes à Mẽphi ſex millibus paſſuũ, à Nilo verò quatuor millibus. Pyramidũ maximã Chemmis regis ſepulchrum trecẽta & ſexaginta hominũ millia annis viginti cõſtruxiſſe produntur. Tres reliquę factę ſunt annis ſeptuaginta octo, & menſibus quatuor. Quidam ſcripſerunt in cõſtructione tãti operis, in cepas, allia, raphanoſq; mille & octingenta talẽta fuiſſe erogata de ijs fuſiùs primo libro tractauimus, deq; earum altitudine & latitudine.

Ante has pyramides Plinius cap. 12. lib. 36. dicit eſſe Sphingem ex ſaxo naturali elaboratã & lubricam: cuius capitis ambitus per frontẽ centum & duos pedes colligit: longitudo eſt pedum CXLIII. altitudo à vẽtre ad ſummum apicem in capite LXII. Sub hac Sphinge corpus Amâſis regis ſitũ credunt.

Quin & Labyrinthũ in Ægypto fuiſſe à Peteſuco ſiue Tithoe rege inchoatum, & ab alijs regibus auctũ, nouiſſimeq; à Pſammetichi perfectum ferũt. Demoteles regiã fuiſſe Monetrudis dicit. Lycias ſepulchrum Mœridis: Alij ſacrũ Soli aſſerunt. Cuius ſtructuræ magnificentiam Plinius fatetur, non poſſe deſcribi, cum ſit in regiones atq; præfecturas (quas vocant Nomos) ſedecim diuiſa: nominibus earundem totidem vaſtis domibus attributis. Præterea templa omnium Ægypti deorum contineat: ſuperq; Nemeſes quindecim ædiculis incluſerit, pyramides cõplures quadragenarum vlnarum ſenos radice muros obtinentes. Feſſi iã eundo perueniũt ad viarũ illũ inexplicabilẽ errorẽ. Quin & cœnacula priùs excelſa, porticuſq; aſcenduntur nonagenis gradibus oẽs. Intus colũnę de porphyrite lapide, Deorũ ſimulacra, regũ ſtatuæ, monſtrificę effigies. Quarundam aũt domorum talis eſt ſitus, vt adaperiẽtibus fores tonitruum intus terribile exiſtat. Maiore autem in parte trãſitus eſt per tenebras: aliæq; rurſus extra murũ Labyrinthi ædificiorum moles, pteron appellãt. Inde aliæ perfoſſis cuniculis ſubterraneę domus. Ad huius ſimilitudinẽ Dędalus Athenienſis aliũ Labyrinthũ extruxit in Creta: ſed centeſimã tantũ portionẽ eius imitatus eſt, quę itinerũ ambages, occurſuſq; & recurſus inexplicabiles cõtinet, nõ breui lacinia millia paſſuũ plura ambulationis continentẽ, ſed crebris foribus inditis, ad fallẽdos occurſus, redeũdumq; in errores eoſdem.

Huius

Huius hodie nullæ ſuperſunt reliquiæ. Tertius in Lẽno fuit olim Labyrinthus Cretici ſimilis, colũnis tantũ centũ & quadraginta mirabilior: quarũ in officina turbines ita librati pepẽderunt, vt puero circũagente tornarẽtur. Architecti illũ fecere Smilus & Rholus, & Theodorus indigena. Quartũ in Italia ſibi extruxit ad oppidũ Cluſiũ Porſena rex Hetruriç ſepulchri cauſa lapide quadrato: ſingula latera pedũ lata tricenûm, alta quinquagenûm. Inq; baſi quadrata intus Labyrinthũ inextricabilẽ: quò ſi quis improperet ſine glomere lini, exitũ inuenire nequeat. Supra id quadratũ Strabo ſcripſit pyramides erectas fuiſſe quinq;, quatuor in angulis, in medio vna: in imo latę pedũ ſeptuagenûm quinûm, altę centũ quinquagenũ: ita faſtigiatæ vt in ſummo orbis ęneus, & petaſus vnus omnibus ſit impoſitus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, quę vento agitata, lõgè ſonitus referãt, vt Dodone olim factũ Supra quẽ orbem quatuor pyramides inſuper ſingulæ extant pedũ cẽtenûm. Supra quas vno ſolo quinq; pyramides: quarũ altitudinẽ Varronẽ puduit adijcere. Inſanũ hoc opus extruxit rex Hetruſcus, vt externorũ regũ vanitas ab Italis ſuperaretur.

Sed omniũ magnificentiſſimũ fuit illud ſepulchrũ Simandij regis Ægyptiorũ: ꝙ forma fuit quadrata, & ad omnia latera ęquali. Eius vnaquęq; facies habebat trecẽtos paſſus Geometricos: quorũ ſinguli cõtinent pedes quinque, circuitus igitur erat mille & ducentorũ pedũ. Introitus in id tã vaſtum ædificiũ patebat amplius. Erat enim latus pedes quadringẽtos, altus ſexaginta ſeptẽ. Poſtquã in interiorẽ ambitũ peruentũ eſſet, ſtatim occurrebat periſtyliũ exquiſitiſſimis columnis, & marmoribus conſtructũ, ꝙ interiorẽ areã circuibat latam vndique pedes octingentos. Columnæ ſignis diuerſorũ animalium variegatæ erant, altæ pedes viginti quatuor. Fornix autem ſuperior conſtructa erat ex immanibus lapidibus, incruſtata vermiculato opere (quod Moſaicũ vocamus) ex auro & cyaneis lapidibus diſtincto diuerſis aſteriſcis. E regione primi oſtij aliud ex oppoſito videbatur: ad cuius introitũ tres ſtatuæ coloſſeę erant erectæ, Mẽnonis opus admirãdum: quarũ media erat altiſſima, duę ad latera minores, ſed quę naturalẽ altitudinem longè ſuperabãt. In fronte huius ædificij maiuſculis literis inſcriptũ legebatur. SCIRE QVI SIM CVPIS? EGO SVM

SIMANDIVS REX REGVM: AT QVANTVS QVALISQ. FVERIM SI AVES COGNOSSE, QVOQ. LOCO CONDITVS, MINIMVM EX HIS QVÆ SVSPICIS OPVS PERFICE, ET SVPERA. Paulò vlteriùs alia ſtatua muliebris capite tiara velato, alta pedes triginta: quæ regis filia mater & vxor fuerat. Subſeq̄batur aliud Periſtylium minus quidē priore, ſed luculentius magnificentiuſq;: in cuius ambitu ſculptę erant victorię triumphiq; magni regis contra Bactrianos. In medio duæ ſtatuæ coloſſeę videbantur erectę, totumq; id ędificium precioſiſſimis colūnis fulciebatur: atq; in ambitu ordine iucūdo diſpoſitæ erāt infinitæ imagines ex cedro & cupreſſo: quæ facies repræſentabāt Principum, & eorum qui in adminiſtratione legum & Politię fuerāt verſati. In receſſu ſecretiore imago Regis erat Deis cœleſtibus dona offerentis ex tributis, quę illi cōferebantur à diuerſis prouincijs & populis bello deuictis, & ſuę dominationi ſubiectis. Proxima viſebatur bibliotheca locuples & omnis generis ſcriptorū refertiſſima: ſuper cuius ingreſſum hęc legebātur. VERA HVMANI ANIMI MEDICINA. Circunquaq; Deorum Ægyptiorū pulchra ſerie imagines collocatæ erant. Paulo vlterius attollebatur ædificium ſumptuoſiſſimum: in quo viginti lectuli ad diſcūbendum diſpoſiti erāt, ſacri Ioui & Iunoni. Eoq; in loco corpus regis erat ſepultum: monumētum quo clauſum erat circulo aureo circundabatur, qui altus erat pedem ſemis: & in circunferentia continebat trecentos & ſexaginta quinque cubitos, in quo ſculpta videbantur aſtra omnia artificio ſingulari: is multis annis intactus ſeruatus eſt, donec in aduentu Cambyſis (qui omnia loca ſacra profanaq; polluit & diripuit, crudelibuſq; incendijs immaniter abſumpſit) hunc circulum cum alijs donarijs diripuit.

Sed de his ſumptuoſis monumētorū ſtructuris ſatis ſuperq; dictū eſt: ſupereſt vt pauca adijciamus, quę ad Epitaphia pertinēt: quorū numerus ferè eſt infinitus, tā in Gallia quā in Italia maximè Romę: nā in hoc ſcriptionis genere Romani Gręcos lōgè ſuperarūt. Ex q̄bus plurima lectu digniſſima lectori præbet hic liber, & qui priore prelo editus eſt. vnū tamē hîc addā quod mihi cōmunicatum eſt olim à doctiſſimo viro Claudio Coladonio Bituricēſi; quodq; ſuperioribus annis inuentum eſt in Gallia ad Soliacum oppidū Lemouicenſium: id tale eſt.

FLAGI-

FLAGITIVM MAXIMVM VIATORES SCIRE SI VOLTIS HEIC SISTITE GRESSVM.

AC PRIMVM M. LVCIVS ET SARDICA HOC MARMORE CLAVDIMVR MISERI AMANTES.

QVI ET VNDE PROFECTI QVANDO HIC MEVS NON VOLT FAXO SCIERITIS. MIHI AFRICA HVIC ROMA PATRIA, CVIVS IN AMOREM INLECTA VRENTVR [O SI NON FVISSEM] DVM IVVENEM ROMAM CVM VICTORE EXERCITV SEQVOR REDEVNTEM TEMPESTATE ACTI SÆVA IN PIRATAS INCIDIMVS HEI MISELLE VAENIMVS AMBO NEGOTIATORI QVOIDAM: EGO GALLO QVI ME NOVIOMAGVM TRANSTVLIT: HIC NAVCLERO LVSITANO REMEX VT FVAT: QVO MINISTERIO! AH SCELVS! VNDECIM ANNOS APVD HOS ILLOSQVE FVNCTVS DVM PER MANVS [CEDO LVCI, SICCINE EST] DVM INQVAM PER MANVS TRADITVS MVLTIS IN OBSEQVIVM CEDIT MISERRIME RVPTVS DEMVM......... NOCTE CONCVBIA ASSVLA CLAM EXIT IN LITTVS: TANTISPER PER SALTVS ET SYLVAS LIBER DONEC VAGVM IN VIA LATRONES CAPIVNT: A QVEIS POST DIVTINÆ LATROCINALIS SERVITVTIS LABORES EXANTHLATOS HERI MEI FILIO VEH DISTRAHITVR PER ORAM DALMATIÆ FORTE TVNC NAVIGANTI. EI FILIO CONIVX A PATRE DESTINABAR. QVOI REVERSO IPSA [VT FIT] OCCVRRENS BASIOLVM IMPRESSVRA: AT AT! LVCIOLVM MEVM PONE CVM SARCINVLIS SEQVENTEM INTVEOR, HÆREO COGITABVNDA SICVBI HOMONEM NORAM [ERAT ENIM VVLTV SQVALIDO CONTRACTOQVE MACIE] O DILECTAM MI QVONDAM FACIEM! MINIMO MINVS IN HVMVM LÆTITIA CONCIDI EXANIMIS. ATQVI RETINERE LABENTEM FESTINANS CORCVLVM INFIT MEVM. PAPE! QVÆ MOMENTO TVNC ADMIRATIO OMNIBVS! IVSSA AB HERO CVNCTA RETEXO ORDINE ANNORVM NOSTRORVM. EVAX, O PLAVDITE. MISERETVR HERVS. ET MEVM LVCIOLVM VOLT PATREM MI FAMILIAS DARIER. NVPTIIS DICTVS EST DIES. ADVORTITE. DVM ACCVMBITVR, PVER E PROXVMA VICINIA ARVNDINE [QVA IN ADIACENTIS HORTVLI ARBORE CONSIDENTEM AVEM INDIPISCERETVR] PER FENESTRAM INTRORSVM ARCV ADACTA MALEDESTINATO ICTV [PROH DOLOR] MIHI EST MISELLO HVIC [FHODVM LVCI ADESTO NARRANTI] LACRVMÆ VERBA SORBILLANT] NOBIS IN ALTERIVS CONSPECTV VTROQVE CONVIVANTI VITAM PECTORIBVS TRANSFIXIS AVFERT.

HOC PVTO ME VOBIS SARDICA
VOLEBAT FARIER. ABITE.

*At cùm heic Epitaphiorum fiat mentio, placet hoc loco quædam adſcribere, quæ lectori, opinor, neutiquam diſplicebunt.*

## Romæ ad Pontem Iudæorum.

HOSPES QVOD DEICO PAVLVLVM EST.
ASTA ET PELLEGE.
HEIC EST SEPVLCHRVM HAVD PVLCHRVM
PVLCHRALI FOEMINÆ.

NOMEN PARENTEIS NOMINARVNT CLAVDIAM.
SVON MARITVM CORDE DILEXIT SOVO.
GNATOS DVOS CREAVIT.
HORVNC ALTERVM IN TERRA LINQVIT.
ALTERVM SVB TERRA LOCAT.
SERMONE LEPIDO TVM AVTEM
INCESSV COMMODO.
DOMVM SERVAVIT. LANAM FECIT.
DIXI. ABEI.

*Metis Mediomatricum: apud C. V.*
Petrum Lepidum Procuratorem Regium.

AVL. SEMPR. ASPERNATI
FLAMINI DIALI
CONIVGI OPTVMO
BENEMERENTI
HECALE FLAMINICA
P. C.
BIX. ANN. XXCI.
M. IV. D. VII.
ET IVLIO MODESTINO
LEIB. B. M.
ET SIBI ET SOVEIS.

ÆMILIÆ SYR:
ADI. VIX. ANN. LII.
M. IV. D. IIX.
VETVRIA PRIMIGE-
NIA MAMMÆ PIEN-
TISSIMÆ P.

---

*In domo N. V. Claud. Antonij Clereuantij hæc duo ſaxa videntur.*

L. POPLIO APOLLINARI
VERNÆ SVO B. M.
ET IVL. FESTO LEIB.
QVIBVS IVS
OLLARVM DVVM
A PATRONO
CONCESSVM EST

TIB. SOSÆ
VICTORINÆ LIB.
CVI EX DECRETO
DECVR.
OLLA PVBLICE
DATA EST.

---

*In eiuſdem domo Copetij ad lacum Lemannum.*
D. M.
PHILETI BRITTAI
ANNORVM XXIIII. DEFVNCT.
.......... CLAVDIANVS
FILI VNICI ET PIISSIMI
B. C.
SVB ASCIA DED.

*Verſoij ad lacum.*
D. M.
LAVR. RESPECTO IVRE
NI ERVDITO CAVSIDICO
BIS CIVI VALINSÆ
ET IOVIS TRIDEI VNC-
TO ANNORVM XVIII.
FILIO PIENTISSIMO
L. AVR. RESPECTVS
PATER PONENDVM CVRAVIT.

---

*Camerti Vmbrorum oppido in Picentinis montibus inuenta eſt hæc inſcriptio.*
Ↄ. TIBVL. C. SEMPRONII F. MAM.

L. NEP. INFERNO PLOTONI TRICORPORI
OXORI CARIS. TRICIPITIQVE
CERBERO MVNVS MEVM FERENS
DAMNATAM DEDO ANIMAM HIIAM
QVÆ HOC ME CONDO MONIMENTO
NE OBRVTIS DOMVS LAPSV FILIIS SEX
QVOS P. SCIPIO PATRIIS
CAMERTIBVS A SALO ET LIBYA
INCOLVMES RESTITVERAT
INDESOLATA ORBITATE SVPERSIM
MISERA I. ANN. L. M. I. D. I.
HOR. SCIT NEMO. QVIETEM
POSTERI NON INVIDEANT.
QI SECOS. MANES
SENTVAT IRATOS. HALE HITA.
INFR. P. XX. IN AGRO P. XXXIX.

---

*Non procul à Nouocomo iuxta Larium lacum.*

L. CÆCILIVS L. F. CILO
IVL. VIR. A P.
QVI TESTAMENTO SVO HS. N. XXX. MVNICIPIBVS COMENSIBVS
LEGAVIT. QVORVM REDITV QVOT ANNIS PER NEPTVNALIA OLEVM
IN CAMPO ET IN THERMIS ET BALINEIS OMNIBVS QVÆ SVNT
COMI POPVLO PRÆBERETVR T. F. I. ET
L. CÆCILIO L. F. VALENTI. ET L. CÆCILIO L. F. SECVNDO
ET LVTVLÆ F. CONTVBERNALI.
ÆTAS PROPERAVIT. FACIENDVM FVIT. NOLI PLANGERE MATER
MATER ROGAT QVAMPRIMVM DVCATIS SE AD ILLOS.

---

*Labelli oppido Apuliæ.*

P. LARTIVS P. F. BROCCHVS
LARTIA HORREA BONEIS PROBATA.
INVEISA SVM A NVLLA PROBA.
PARENS DOMINEIS SENIBVS.
HVIC AVTEM OBSEQVENS. ITA
LEIBERTATE ILLEI ME: HIC
DECORAT STOLA ET PVPVLA.
ANNOS VIGINTI OPTIMI
DOMVM OMNEM. SVPREMVS
FECIT IVDICIVM DIES. MORS
ANIMAM ERIPVIT. NON VITÆ
ORNATVM ABSTVLIT. EPIRVS CHILO
VIAT. PR. PL.

---

*Beneuenti oppido Hirpinorum.*

D. M.
L. SCENNI ANNEI AFRICANI
FIL. DVLCISSIMI. QVI VIXIT ANN. XII.
M. VIII. DIES X. PARENTES INFELICISS.
AMISSIONE EIVS PERPETVIS TENEBRIS
ET QVOTIDIANA MISERABILI
VLVLATIONE DAMNATI.

---

*Ibidem.*

T. NONIO MARCELLINO V. C. COS. COP.
PATRONO DIGNISSIMO OB INSIGNIA BENEFICIA

QVIBVS LONGA POPVLI TABEDIA SEDAVIT.
VNIVERSA PLEBS BENEVENTANA
CENSVIT PONENDVM.

*Patauij: pars hæc tabulæ marmoreæ videtur cum hoc inſcriptionis fragmento.*

INFERENDI IN AREA. HVMANDI. SEPELIENDI IVS
POTESTASQVE ESTO. VT HVIC AREÆ QVAM EGO DEFINII
ET A FRONTE MACERIÆ DVXI. ET TITVL. POSVI
VLTRA EAM AREAM ET MACERIAM IN FRONTE IN AGRO
VERSVS LATE PED. X. RETRO VSQVE AD CANABETVM
HVIC AREÆ CEDIT. IN QVA PEDATVRA VSQVE HVMARI
NEQVE TVMVLVM FIERI VOLO. VT HABEAT
EA AREA ET A LATERE ACCESSVM SVVM.

EIVSMODI ſepulchralibus inſcriptionibus plena eſt Italia, cęteræq; regiones vicinæ, ad quas Romani colonias miſerunt, vel ſuo imperio ſubiectas tenuerunt. Quas omnes recitare in immenſum opus extenderetur. Sufficiat Lectori paucula quæ hic inſerui legiſſe. Ego Deo volente librũ peculiarem editurus ſum, quo continebuntur huius materiæ inſcriptiones diuerſæ, cum ſuis ſignis & marmorum forma. cuiuſmodi duos hos Romanarum inſcriptionum publicaui: At ne prolixior videar, moleſtiamque legentibus ingeram, claudam tractatulum hunc breuem duobus Epitaphijs iucundis, & lectu non indignis. Quorum primum repertum eſt Brixiæ vrbe Tranſpadanæ regionis. quod tale eſt.

D. M.
QVI ME VOLENT. VALETE
MATRONÆ MATRESQVE FAMILIAS
VIXI. ET VLTRA VITAM NIHIL CREDIDI.
ME VENERI ALVMNÆ ADDIXI
QVOS POTVI PELLEXI FILTRIS ET ASTV
VIRO HVMATO NON VIDVA FVI.
NEC MARITÆ NOMEN ADEPTA.
QVÆSO NON INVIDETE.
PORTIA FAMILIA EST VENERIS DOMVS.
ILLICIVM CVPIDINVM.
CAVE VIATOR NE ME DIV CALCATAM CALCES.

*Romæ legitur Epitaphium Mulæ P. Craſſi.*

D. PEDIBVS SAXVM.
CIVCIÆ DORSIFERÆ ET CLVNIFERÆ.
VT INSVLTARE ET DESVLTARE COMMODETVR.
PVBL. CRASSVS MVLÆ SVÆ CRASSÆ BENEMERENTI
SVPPEDAMENTVM HOC CVM RISV POSVIT
VIXIT ANNIS XI.

# FINIS.

DIONYSIVS
GOTHOFREDVS
I. C.
POSVIT.
MEMORIÆ
VITA
QVOD H B H AEVITERNAE
SENECTVTEM SATVRNIAM
A DIS MANIBVS INVIDIA
SACRA OCCVLTAM
QVOESITAM DIV ET REPERTAM
MVLTIS SAECVLIS
HERCVLEO LABORE
MANIBVS EORVM AVLSAM
IANVS BOISSARDVS
AEVITATIS ANTISTES
RELIGIOSISSIMVS RESTITVIT
OLLI IANO BOISSARDO
SATVRNIA SENECTVS
H B H AEVITERNA
DVLCISSIMI FOEDERIS
ET CONIVGII MEMORES
H B H N IN SENECTA
SENECTAM IN H B H
MERITISSIMVM PRAEMIVM
MEMORI DEDERE.

DIIS MANIBVS
C.FVNDANIO
FIRMINO QVI VI
XIT ANN. XIIII.M.II.D.
VI.C.FVNDANIVS
HERMES ET CVSPIA
FIRMIA PARENT.
FECERVNT FILIO KA
RISSIMO ET POSTE
RIS EORVM.

DIS MANIBVS
P. MARI. TERIS.


CAESIA CLEVLIMENE
C. CAESIO G.L.PHILARISTO VIRO SVO
ET SIBI FECIT.
D.CORNELIVS HILARIVS AMICVS
LOCVM OLLARVM DVARVM DEDIT.

M. AVRELIO M. F. SEVERIANO PREF. VRB.
M. AVR. SYNTYCHVS FILIVS ET
FLAVIA NICE PARENTI OPTVMO
FECERVNT VIX. A. L. M. III. D. I.
ET IVLIAE ZOSIMAE LIB. ET HYLLO.

*In domo Cardinalis Medichini tranſlatum Tibure*

B . 56.

G . 4.

*In palatio Cardinalis Medichini Tybure Romam adportatum.*



ΠΡΟΥCΙΘΥ ΤΟΥ ΤΩΝ ΚΟCCΩΝ ΥΠΑΡΧ
CΤΡΑΤΗΓΙΚΩC ΚΑΙ CΟΦΡΟ

I. 2

ΗΡΑΚΑΗΤΩΙ ΜΟΥϹΑΓΗΤΗΙ
ΜΗΝϹΦΙΑΟϹ.

*In Quirinali.*

*In area domus Carpenſium hortorum*

*Sub Statua Serapis.*



*Jn hortis Carpenſibus.*




*In hortis Carpenſibus.*






D. M
C. ANNIO VALENTI
VET. EX NVM. FRVM
LEG. IIII. FL.
C. ANNIVS HERACLA
FECIT PATRONO B. M. ET SIBI
ENANNIAE PRIMIGENIAE
VXORI Ē LIBERT. LIBERTABVSQ.
SVIS POSTERISQVE EORVM
H. M. D. M. A.

DIS MAN
C. FICTORIO
VASCVLARIO
FICTORIAE PYTHVSAE
MATRI
C. FICTORIO C. FATICO
LEG. III GALLICAE
FRATRI VIX. ANN XXV.
FICTORIA C. F.
ATTICILLA PARENTIB.
SVIS FECIT.


PITHECAE L.
HILARO DIVI AVG. L. ET
DOMITIAE ATHIS
PATRONI

IMP. CAES. IMP. CAES.
L. SEPTIMI SEVERI
PII PERTINACIS
AVG. ARAB. ADIABEN.
PARTHICI MAXIMI
FORTISSIMI FELICISSIMI
PP. FILIO
M. AVRELIO ANTONINO
PIO FELICI AVG.
TRIB. POTEST. III.
PROCOS.
TIBICINES ROMANI
QVI SACRIS
PVBLICIS PRAESVNT.

*In domo Card; vallæi in diambularris ſuperioris domus*
*Sub Statua Neptum*






TERENTI VI. C. CL. ANTERO
LVMINARIVS VIVOS SIBI ET
TERENTIIS HILARO ET EPAPHRODITO
PATRONIS
CAECILIAE C. L. CHIAE VXORI
RENTIAE L. MVSAE LIBERT.
ET HOC Ↄ HILARO MVSAE FR.


D. M
ATTILIO KA
RO FILIO
DVLCISSIMO
ATTILIVS
EVTRAPELVS
PATER F.


D. M
IVLIA PATHV
SA QVAE VIX.
ANN. XVI. MENS.
II. DI. XXIIII.
MARTIA DORCAS
FILIAE INCOMPA
RABILI F.

*In hortis Carpenſibus.*

HERCVLI PLACIDO
IABOLENVS AVG. LIB. D.

*In hortis Carpenſibus ſuper porta qua deſenditur ad fontem*

[illegible]




M


SALVIANVS AVG.
LIB. FILIVS
VLPIAE DORCADI
MATRI DVLCISSIMAE
ET SANCTISSIMAE ET
INCOMPARABILI FEC.
ΘΕΑΙ ΕΠΙΚΘΩ.
ΑΡΤΕΜΙΔΙ
ΑΥΛΙΙ ϹΩΤΗΡΗ
ΑΥΡ ΕΛΠΙ ΝΕΙΚΗ.


N. OGVLNIO
RHODONI
VIXIT ANN. XXIIX.
MENSE I DIES XX.
OGVLNIA HILARA
FILIO DVLCISSIMO
FEC.

In hortis Carpenſibus

D. M.
BASSO AVG. LIB.
PROX. AB. EPISTVLIS
GRAECIS PROC TRACTVS
CARTHAGINENSIS.
GABIA Q. F. PRISCILLA
MARITO PIISSIMO
ITEM CLAVDIVS CONON
PATRI BENEMERENTI
FECERVNT

D. M.
L. CORNELIO
PAVSANIAE
PAPE B. M. FECIT
C. L. CETEGILLA.

FLAVIAE
ATHENAIDI
AVGVSTALIS
AVG. LIB. TIBVL.
A MVNERIBVS ET
APPIA IVSTINA
FILIO DVLCISSIMO

Q. CORIO
Q. F. VOL.
ANTIQVO

DIIS MANIBVS
SACRVM
HERBASIAE
CLYMENES
SEX HERBASIVS
NAVTILLVS SIBI ET
CONIVGI SVAE
SANCTISSIMAE FECIT.
IN. FR. P. XVIII. IN AGR. P. XVII.

N. 2.


VOTO SVSCEPTO
CORN. DEMAS
POSVIT.


IMP. CAESARI DIVI NERVAE FILIO
NERVAE TRAIANO AVG. GERMANICO
DACICO PONT. MAX. TRIB. POTEST. VIIII
IMP. IIII. COS. III.

DIS MANIBVS
P. EGNATI
NICEPHORI
IN FR P. XVIII.
IN AGR. P. XVII.


SECVRITATI
HEMATHION ET
CARPO.

*In hortis Carpenſibus*

*In hortis Carpenſibus*








In Carpenſibus hortis in Quirinali
ad ingreſſum vineæ majoris ſub ſtatua virginis






P.


DIS MANIBVS
T. LARCI
CERINTHI
T. LARCIVS
SPANIVS ET
T. LARCIVS
THEOPOMPVS
PATRONO BENE
MERENTI QVI VIXIT
ANNIS LXIII.


DIS MAN.
SERGIO EVCOMO
VIX . ANN . XX
DIEB. VI . HOR XII
EVCLIMENE
MARTIALIS
ET EVCOME
FRATRI PIIS
SIMO MOESTISSI-
MAE POSVERVN


C. SELICIVS C. L. GLYCO SIBI ET
RVTILIAE P. L. EROTINI
P. RVTILIVS SP. F. COL. LVPVS
RVTILIA LVPI LIB. OPORA
SELICIA C. LIB. MELETE
C. SELICIVS C. ET P. RVTILI LIB FELIX.







*In hortis* *Carpenſibus*






*In Carpenſibus hortis*




D. M.
M. CAECILI AVGVS
TIN V. A. VIII. M. IX
D. XXIII M. CAECILIVS
CALLISTIANVS
ALVMNO KARISSIM.
POSVIT.

D. M.
T. FLAVIO RVFO
T. F. FLAVII
VENVSTVS ET
SATVRNINVS
FRATRI
PIENTISSIMO
FECERVNT.


D. M.
AVR. PRIME
B. M. M. AVR.
MAXIMVS MIL.
ET AVR. MV
CIANVS FRA
TERNVS
NEGOTIANTES
BENEMERENTI
FECERVNT.

DIS MANIB.
M. VINCI
M. F. MEVIATI
VIX. ANN. XXII
MEN. VII. ANICIA
PATRON. LICONTIVS
POSVIT.

D. M.
AEL. LVCILIANO
PP IVL. HONORA
TA CONIVNX
CONIVGI KARIS
SIMO ET AEL.
FLAVIANVS
PATRI PIISSIMO
B. M.
FECER.


DIIS MANIBVS
LICINIAE TYCHE
L.LICINIVS STRICO
FIL. MATRI SVAE
PIISSIMAE FECIT
VIX. ANN. XXXV.

D. M. S.
CN. CORNELIO
CN. F. SAB.
MVSAEO
MANCIPPIVLAE APPIAE
HERENNIA PRISCILLA
CONIVGI
BENEMERENTI
FECIT


GALLICANO ET VETERE COS
VITIDIAN COH·I·PR. Ƽ
SATRI GENIO Ƽ MISSI
HONESTA MISSIONE VII
HIBERO COS.
SP.L CESORIVS IVSTVS VIR VNO
L.VOLCEIVS SEVERVS SEPTIMO
Q.SEXTILIVS RVFVS FLANORA
C.VALERIVS VERANVS TRIOENTE
SERVIANO III COS.
T.ANNIVS CRISTINVS CVLRAMAR
T.ANICNIVS PRIMVS PERINTHO

M. ATTIO
M. F
SVBVRRANO
ALVMNO
KARISSIMO


DIS MANIBVS
IVLIAE MELIAE ET
CLAVDIAE PAEZVSAE
POSVIT
PHARNACES IMP.
CAESARIS CONIVGIBVS
SVIS BENE
MERENTIBVS


L. VALERIVS L L.
ALEXANDER SIBIET
VALERIAE L L ATTICE
L. VALERIVS L L LIMEN F.
VALERIA L L. IRENE
L. VALERIVS L L. FAVSTVS
VALERIA L L VRBANA
VALERIA L L ATTICE
L. VALERIVS L L. IANVA-
RIVS
L. VALERIVS L Ɔ L
SELEVCVS SIBIET SVIS
VALERIA L Ɔ L ARTEMIS
L. VAEERIVS L Ɔ L. HYLLVS
L VALERIVS L Ɔ L. PHILEROS
L. VALERIVS L Ɔ L. DIOGENES
VALERIA L Ɔ L. MARTA
L. VALERIVS VRBANVS
VALERIA ARESCVLA
L. VALERIVS PAPIA HVNC LOCVM MONV RELIQVIT L. VALERIO HIERONI HEREDI SVO
HIERO L. VALERIO AMPHIONI ET DIOGENI HEREDIBVS SVIS IN PENORII ~K~D~

In Vineam Carpenſi prope portam ſuperiorum qua itur ad Quirinalem 




M. TERENTIVS AL.
THEOPHILVS
CLODIA P. F. VXOR
TRIB. SVC CORP.
FOEDER.

I. O. M. SACR.
VOTO SVSCEPTO PRO SALVTE
AVG GERMANICI
PONT. MAXIMI. TRIB. POT.
D. VETVRIVS ANTIGONVS
D. VETVRIVS SP. F. PHILO
D. VETVRIVS ALBANVS
PATER CVM FILIIS POSVIT
DEVAS
CORNISCAS
SACRVM.

DEAE SYRIAE SACR
VOTO SVSCEPTO PRO
SALVTE
AVG. GERMANICI
PONTIFICIS MAXIMI TR. POT.
D. VETVRIVS ANTIGONVS.
D. VETVRIVS SP. F. PHILO.
D. VETVRIVS ALBANVS
PATER CVM FILIIS POSVIT
L. CASSIVS L. F.
ROMNIGER.
DOMOATESTAE
MILES COH. I. P. R.
MILITAVIT ANN. XVIII
VIXIT ANNIS XXXVI

D. M
T. CL. TITIANO
CL. HIERATICI FILIO
VIXIT ANNIS XIX
DIEB. XXVIIII
FABIA HYGIA
MATER INFELICISSIM
FILIO PIENTISSIMO
FECIT ET SIBI
POSTERISQVE SVIS

C. CORVNCANIO
C. F. POL.
ORICVLAE
PRAEF FABRVM
TRIB. MIL. LEG XXI
RAPACIS EX
TESTAMENTO EIVS
CVRAVIT IVLIA
PIA VXOR.


C. AFIONIVS C. FIL. QVIRINA LVCILLVS
AIR. RVFINIANVS COS. FRATER ARVALE
PRAEF VRBI ELECTVS AD COGNOSCENDAS VICE CAESARVS
COGNITIONES PROCOS. PROV. AFRICAE XXVIRO EX SENATV
NORI CVRANDAE CVRATOR AQVARVM EI MINI
NI ET TIBERIS ET CLOACARVM VRBIS ECALVS PROV.
AFRICAE EODEM TEMPORE VICEPROCONSVLIS CVRATORI RE
LOIANORVM CVRATORI REIPVBLICAE SVESSANORVM
PRAETOR KANDIDATVS QVÆSTOR KANDIDAT.
ELECTVS IN FAMILIAM PATRICIAM X VIRO
ET LITIBVS IVDICANDIS.


SYMPHORO
SVO
ALEXANDER
PATRONVS
O D. S. M.
D. M.
M. HERENNI
Q. FIL.
MONTANI.
V. A. XXX.
PIISSIMO AC FORTISSIMO
FVNDATORI PACIS
AC PVBLICAE
LIBERTATIS
AVCTORI
D. N. FLAVIO VAL.
CONSTANTIO
NOBILISSIMO CAES.
VAL. HONORATVS V. P.
RAT. S. R. D. N. M. Q. EIVS.

DIS MANIBVS
SACR.
L. CORNELI SACERGI
ET CORNELIAE VENERIÆ
ACONTIVS LIB.
PATRONIS
ARAM DON. D.


DIIS
MANIBVS
IVNIAE M.F.
GEMINAE


PHO TEMPLVM
EX VISO A SOLO IMPENDIIS
RESTITVIT COLONVS AL
ES NVTRICIS FECIT CONSER
SILVANO
SANCTO SACRO
LARVM CAESARIS
Ñ. ET COLLEGI MA
GNI CN. TVRPILIVS
TROPHIMVS VOTO
SVSCEPTO ARAM
DE SVO D D.

D. M.
FABIAE Q. F.
ET LICIAE
IVLITTAE
CONIVGI
KARISSIMAE
VIXIT ANN. XVII


L. CORNELIVS
HERMES
CORNELIAE
AMANDAE
LIBERTAE ET
CONIVGI
KARISSIMAE
ET SIBI.


ARAM IOVIS FVLGE
RATORIS EX PRAECEP
TO DEORVM MON
TENSIVM VAL. CRES
CENTIO PATER DEORVM
OMNIVM ET AVR EXV
PERANTIVS SACERDOS
SILVANI CONERATRIBVS
ET SORORIBVS DEDI
CAVERVNT.

*In Vinea Carpenſi*






*In Vinea ſuperiore Carpenſi*




F.

*In Vinea Carpenſi*

D. M. S
MAXIMVS
V.A.XVII. M.IIII. D.V.
MAXIMVS ET
MOSCHIS
FILIO
PIISSIMO

D. M.
AELIAE
POTITAE
NARA
CONIVGI
OPTIMAE
FECIT.


XANTIVS AENI
DISPENS.

T. 3


BABBIAE M. F.
PRISCAE
P. QVINCTIVS NVMIDA
VXSORI.


VENERI
PLACIDAE
SACRVM.


DIS . MAN.
TESIA COMPSE
FECIT T. FLAVIO
PARNASENI
CONIVGI BENE
MERENTI
VIXIT ANNIS LV.


D. M.
AVCTO.
V. A I M. VII.
D. XXI. FECIT
LARCIA
TYCHE
NEPOTI SVO.

D. M.
ET MMM. VLPI HELIADI
FECERVNT M. VLPIVS
PRAENESTINVS ET
AELIA AELIAS AELIO
DVLCISSIMO
V. AN. I. M. II. D. XXIIII.


D M
TIB. IVCVNDO
I. R. LEG. XXX. VLP.
FLAVI. FRVCT
SET VISTO RO.
I. R. LEG. EIVSDEM
HERED. F. C.
D. M.
HAELIA RODIAS Q. V.
ANN. DVOBVS M. VIIII.
DIAEBVS XIIII. FECIT
HAELIVS ALYPVS FILIAE
DVLCISSIM.
EX DOMO
CAESARVM ET
LIVIAE
LIBERTORVM ET SERVORVM.
L. CASSIVS L. F.
ROMNIGER.
DEMOATESTAE
MILES COH. I. P. R.
MILITAVIT ANN. XVII
VIXIT ANNIS XXXVII.
DIIS
MANIBVS
L. CAECILI
MAXIMI
MENSORIS
AEDIFICIORVM.
DIIS MANIBVS
HILARVS VIXIT ANN. VI
MENSIBVS VII.


CLAVDIA SPYCARIO
FECIT SIBI ET EVTYCHO
FILIO SVO PIISSIMO
IMP. DOMITIANI CAESARIS
AVGVSTI GERMANICI SERVO
DISPENSATORI MONTANIANO
ET LIBERTIS LIBERTABVSQVE SVIS
POSTERISQVE EORVM.
H.M.H.M.S.


D. M.
A. ATINIO A.F. PAL.
PATERNO
SCRIBA AEDIL. CVR.
HON. VSVS AB. IMP.
EQVO PVBL. HONOR
PRAEF. COH. II. BRACAR.
AVGVSTAN. TRIB. MIL
LEG. X. FRETENS. A DIVO
TRAIANO IN EXPEDITION
PARTHICA DONIS DITAT.
PRAEF. ALAE VII. PHRYG. CVR.
KAL. FABRATER NOR. NOVOR.
ATINIA A.F. FAVSTINA PATRI
OBTIMO FECIT.

D.M.OPTATO
AVG.SER.POMPEIA
SYNTYCHE FRATRI
PIISSIMO FECIT.


D. M.
P. MARIO CAS
TORI MARIA
RHETÒRICE
CONEIBERTO
ET CONIVGI B.M.
F.

D. M.
M.AVRELIO AVG.LIB.
ONESIMO CVBICVLI
ET ALOCIS CVBICVL STATI
M.AVRELIVS DIONVSEVS
PATRONO PIENTISSIMO
ET BENEMERENTI FECIT
OSSVA POSTTA SVNT
VI.IDVS NOVEMB.CRISTI
NO DECAELIANO COS.
ARA XV.KAL.IANVAR.

D. M.
MESSIAE SP. F.
SVAVI
L. SERGIVS
HELENVS VXORI
KARISSIMAE
FECIT


D. M.
TALLIONE
AELIVS MARTIALIS
AVG LIB.
B. M. FECIT


D. M.
CALPVRNIAE CEREALI
LIB. ET CONIVGI DVLCIS
SIMAE CALPVRNIVS
EVHEMER ET MON
TANVS FILIVS
B. M. F.
H M E
IN. FR. P. XV. S. A. PETR. P.


D. M.
NORICAE
PIENTISSIMI
PARENTES
SVI FECERVNT
VIXIT ANN.
VIII. D. XXI.


ωΤΑΚΙΛΛΙΑ ϹΕΡΑΠΙΑΔΙ
ΛΟΥΚΡΗΤΙϹ ΑΚΤΙΑ
ΚΟϹ ΤΗ ϹΥΜΒΙωΙ
ΕΥϹΕΒΙΑϹ ΧΑΡΙΝ
ϹΥΝΒΙωϹΑϹ ΗΜΟΙ
ΕΤΗ ΤΕϹϹΕΡΑΚΟΙ


D I S
MANIBVS IV-
NIA TETHIS
FECIT IVNIAE
SECVNDAE PA-
TRONAE SVAE
B.M.DE SE. SIBI
ET POSTERISQVE
SVIS S.I.I.I.


D. M.
D.LVCILIO D.F. TERMINALI
VIX.ANN. XXV. M.V.D.X.
LVCILIA HELPIS MATER
BENEMERENTI FECIT.


D. M.
AELIA FELICITAS
CONIVNX IVLIANO CONIV-
GI BENEMERENTI HVNC
TITVLVM FECI


DIS MANIBVS
M. POBLICIVS
CHRYSEROS FECIT
CLAVDIAE TOSIMENI
VXORI BENEMEREN.
CLAVDI AGATHOPI LIB
VIX. ANN. XXX.
D. M.
PELAGIVS ET
FORTVNATA
FILI PARTHEN
IO. PATRI BENE
MERENTI
AIMNESTVS CAESARIS
SER. VIXIT ANN. XXX
IVLIA OLYMPIAS
D. S. F.


Θ Κ
ΑΙΜΑΘΙΟΝΙ
ΥΙΩΙ ΓΛΥΚΙ
ΤΑΤΩΙ
ΩΝΕΙΑC
ΑΡΧΙΕΡΕΥC
ΚΑΙ
ΠΡΟΦΗΤΗC.
TI. CLAVDIVS ƆL. IANVARIVS VIXIT ANN. X. MENS. VI. DIES. XXII. HOC MONVMENTO CONDITVS EST
TI. CLAVDIVS SCARIPHIL VITALIS
ARCHITECHTVS V. A. XL.
FECIT SIBI ET SVIS
TI CLAVDIO VITALI F. V. A. IIII. M. VII. D. VIIII.
CLAVDIAE VITALIS L.
PRIMIGENIAE
CLAVDIAE VITALIS F.
OPTATAE.


M. COELIVS ABASCANT
EMPTO LOCO FECIT SIBI ET
SVIS POSTERISQVE EORVM
IN. FR. P. XI. T. IN AGR. P. XII.
ET AREA ANTE MONVMENTVM
COMMVNEM CVM POPILIO EVPHEMO
IN. FR. P. XII. IN. AGR. P. XII.


D. M.
M AVRELIVS AVGG
LIB. HERMADIO TABVL.
XX. HER. VIVOS SIBI
FECIT ET CALIOPE LIB.
SVAE KAR ET CAETERIS
LIB. LIB. SVIS POSTERISQ.
EORVM.
IN. F. P. XII. IN AGR. X.
M. H. N. S.

FABIAE PYPALLIDI OPTIMAE
ET SANCTAE PATRON . DE SE BENEMERI
ARTEMISIVS LIBERTVS
CVNCTORVM HAEC SVBOLI SEDEM
POST MORTE RELIQVIT ANTE
TAMEN NATO CONIVGE ET ANTE SVO
NONDVM SECVRA DVM FLET MAES
TISSIMA MENTE OCCIDIT ET
TRISTES DECEPIT MAESTA FOVENDO
SED NOS SOLLICITI MEMORESQVE
PARENTIS AMORE MATREM CVM
NATO CONIVGE CVMQVE SVO
SECVROS COLIMVS MEMORES VE
NOMINE NOSTRO . ET FACIET
SVBOLES MVLTOS MEMORATA PER ANNOS
SACRA DEIS PATRIBVSQVE SVIS
MEMORESQVE PRIORVM ET MEMO
RES NOSTRI NOSTRORVMQVE ALTA
PROPAGO AETERNVM SERVENT
SEMPER MEMORABILE NOMEN .
QVISQVIS ES AVT OLIM NOSTRA DE
STIRPE FVTVRVS SIS MEMOR
ANTIQVI NOMINIS ET TITVLI . IN
QVORVM TITVLO HIC DATVR ESSE
LOCVS ET DOMVS AETERNAE
TV TVEARE FOCOS .

In Vinea Carpenſi








*In Quirinali ad oratorium Neronis*

ΘΕΩΙ ΑΛΕΞΙΚΑΚΩΙ
ΓΛΥΚΩΝ.

ΦΥCIC ΠΑΝΑΙΟΛΟC.
ΠΑΝ·Τ ΜΗΤ.

L. ANNAEVS
MER.
VICIT C IV.
SECVND. TVLIT
XX IIIIX.
TERT. TVLIT XIIX
PAL. ET COR. V.
DIVI TRAIANI
AVG. MVN.

ΠΛΟΚΑΜΟϹ
ΕΠΟΙΗϹΕ
ΦΟΚΕΙΩΝ ϹΥΝ ΜΥΡ

SALONINA AVG.

MYRRI . LINI . LYSIPPI .

ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ
ΕΦΕϹΙΟΥ


DIIS MANIB.
LIVILLAE HARMONIAE
TIBVRTIANAE PVDICITIAE
INCOMPARABILIS MODESTIAE
SINGVLARIS SACRVM.
ET LEVTERIAE CLYTORIS ET SVIS.

*In Quirinali non procul a templo S. Suſannæ*

Jn Salustrico non procul
a templo S Suſannae


IVNONI PLACIDAE
CONSEVATRICI AVGVSTAE
CLAVDIA SABBATIS
BVLLAM D D.
ADDIDIT ET SCYPHVM ET
TRIPODEM FORTVNAE AVG.

In hortis Bellaianis

Romæ ad Bellaianus hortos 




M. NAVIVS M. F.
THALES SARD.
TYG. ET. NON.
MYSIAE
COL.
STAT.
XX
IIV

*Sub Quirinali*

D.D. NN. DIOCLETIANVS ET
MAXIMIANVS INVICTI SENIORES
AVGVSTI PATRES IMPERATORVM ET
CAESARVM CONSTANTIVS ET MAXIMIA-
NVS INVICTI AVGG. ET SEVERVS ET MAXI-
MIANVS NOBILISS CAESARES THERMAS
FELICES DIOCLETIANI FRATRIS SVI
NOMINE CONSECRAVIT COEPTIS AEDI
FICIIS PRO TANTI OPERIS MAGNITV
DINE OMNI CVLTV PERFECTAS
ROMANIS SVIS DEDICAV.

In arcu S. Viti ſupra Suburranam Viam

GALIENO CLEMENTISSIMO PRINCIPI
CVIVS INVICTA VIRTVS SOLA PIETATE
SVPERATA EST M. AVRELIVS VICTOR
DEDICATISSIMVS NVMINI MAIE
STATIQVE EIVS.


Q. LVCTATIVS Q.F. MENS.
SILVANO
D D.


FL. EVRYCLES
EPITYNCANVS V C.
PRAEF. VRB. CONDI
TOR HVIVS FORI
CVRAVIT.


D. M.
CLEMENTI CAESAR
VM NN. SERVO
CASTELLARIO
AQVAE CLAVDIAE
FECIT CLAVDIA
SABBATIS
ET SIBI ET SVIS










*Vbi pecuniæ oblationum reconduntur.*

*prope altare.*




D M
GENIO AVGG. LAR. SAL.
FORTVNATVS
AVG. LIB.

In templo S. Ioannis Laterani.



In templo Laterano.

In templo S. Clementis.



D. M. LORINI
ARTEMAE FECIT
AVRELIA CONIVGI
B. M.
D. M.
MARTIA L.F.
EVHODIA
TI. CLODIO
EVMELO CONIVGI
BENEMERENTI
ET SIBI FECIT

*Tabula hæc ænea affixa est parieti in Templo S. Joannis Laterani.*

FOEDVS VE CVM QVIBVS VOLET FACERE LICEAT
ITA VTI LICVIT DIVO IVLIO CAESARI DIVO
AVG. TIBERIOQVE ET CLAVDIO CAESARI AVG.
GERMANICO

VTIQVE EI SENATVM HABERE RELATIONEM FACERE REMITTERE SENA
TVS CONSVLTA PER RELATIONEM DISCESSIONEMQVE FACERE LICEAT ITA
VTI LICVIT DIVO AVG. DI. IVLIO CAESARI AVG. TI. CLAVDIO CAESARI AVG.
GERMANICO

VTIQVE CVM EX VOLVNTATE AVCTORITATEVE IVSSV MANDATVVE EIVS
PRAESENTEVE EO SENATVS HABEBITVR OMNIVM RERVM IVS PERINDE
HABEATVR SERVETVR AC SI E LEGE SENATVS EDICTVS ESSET HABERETVRQ.
VTIQVE COS. MAGISTRATVM POTESTATE IN IMPERIVM CVRATIONEMVE
CVIVS REI PETENTES SENATVI POPVLOQVE ROMANO COMMENDAVERIT QVIB. VE
SVFFRAGATIONEM SVAM DEDERIT PROMISERIT EORVM COMITIIS QVIBVSQVE
EXTRA ORDINEM RATIO HABEATVR. VTIQVE EI FINES POMEAII PROMO
VERE CVM EX REPVBLICA CENSEBIT ESSE ITA VTI LICVIT TI. CLAVDIO
CAESARI AVG. GERMANICO

VTIQVE QVAECVNQVE EX VSV REIPVBLICAE MAIESTATE DIVINA
RVM HVMANARVM PVBLICARVM PRIVATARVMQVE RERVM ESSE
CENSEBIT EI AGERE FACERE IVS POTESTASQVE SIT ITA VTI LICVIT
AVG. TIBERIOQVE IVLIO CAESARI AVG. TIBERIOQVE CLAVDIO
AVG. GERMANICO FVIT

VTIQVE QVIBVS LEGIBVS PLEBEIVESCITIS SCRIPTVM FVIT NE DIVVS AVG.
TIBERIVSVE IVLIVS CAESAR AVG. GERMANICVS
TENERENTVR IIS LEGIBVS PLEBEIQVESCITIS IMP. CAES. AVG.
VESPASIANVS SOLVTVS SIT QVAEQ. EX QVAQVE LEGE ROGATIONE
DIVVM AVG. TIBERIVMVE IVLIVM CAESAREM AVG. TIBERIVMVE
CLAVDIVM CAES. AVG. GERMANICVM EACERE OPORTVIT
EA OMNIA IMP. CAESARI VESPASIANO AVG. FACERE LICEAT. VTIQVE
QVAE ANTE HANC LEGEM ROGATAM ACTA GESTA DECRETA IMPERATA
AB IMPERATORE CAESARE VESPASIANO AVG. IVSSV MANDATVVE
EIVS A QVOQVE SVNT EA PERINDE IVSTA RATA SINT AC SI POPVLO
PLEBISVE IVSSV ACTA ESSENT

SANCTIO

SIQVIS HVIVSCE LEGIS ERGO ADVERSVS LEGES ROGATIONIS PLEBISVE SCITA
SENATVSVE CONSVLTA FECIT FECERIT SIVE QVOD EVM EX LEGE ROGATIONE
PLEBISVESCITO S.VE C. FACERE OPORTEBIT NON FECERIT. HVIVS LEGIS ERGO
ID EI NE FRAVDI ESTO. NEVE QVID OB EAM REM POPVLO DARE DEBETO.
NEVE CVI DE EA RE ACTIONE IVDICATIO ESTO: NEVE QVIS DE EA RE APVD
ALIQVEM AGI SINITO C L SINITO.

TI. CLAVDIVS TI. F.
NERO
PONTIFEX COS. ITERVM
IMP. ITERVM
LVDOS VOTIVOS
PRO REDITV
IMP. CAESARIS DIVI F.
AVGVSTI
PONTIFICIS MAXIMI
IOVI OPTIMO MAXIMO
FECIT
EX S C.

*In templum S Clementis*
*repoſitorium aquæ luſtralis*

F F.


D. N. CONSTANTINO PIO FELICI
AC TRIVMPHATORI SEMPER AVG.
OB AMPLIFICATAM TOTO ORBE
REMPVB FACTIS CONSILIISQVE
S . P . Q . R .
AEDEM CONCORDIAE
VETVSTATE COLLAPSAM IN
MELIOREM FACIEM OPERE ET
CVLTV SPLENDIDIOREM
RESTITVERVNT .

Fe 2

*In Xenodochio Laterano*

*In Xenodochio Laterano*



*Jn ſacello Xenodochij Laterani*


FL. PVBLICIAE V.V.
MAX. MERITO SANCTISSIMAE
AC PIISSIMAE QVAERITAE AC PERVIGILI
ADMINISTRATIONE OMNES GRADVS LAVDE
CVMVLATA SACRA SVA VENERATA VIVIT
VT SAECVLARI AETATE MINISTERIO
ADSIT ET IN FVTORO PERSEVERET
Q. TERENTIVS RVFVS ET CAENIA
VERISSIMA PARENTES
TERENTIAE RV. FILIAE V.V.
CVIVS MVTI TEMPORIS BONITATEM
ET HVMANITATEM EIVS CIRCA SE
IN BREVI SENSERVNT.


GERMANICO CAESARE
C. FONTEIO PITONE COS.
K. IAN.
STATAE FORTVNAE AVG.
SACR.
SEX. FONTEIVS Ɔ. L. TROPHIMVS
CN. POMPEIVS CN. L. NICEPHOR
MAG. VICI
SANDALIARI REG.
IIII. ANNI XVIII.
D. D.

*Apud Hieronymum de pici*

*In domo Marci Aemylini in Agone*




V. PARS
ANTIQVITATVM
ROMANARVM
Siue III Tomus,
Inſcriptionum & Monumento-
rum, quæ Romæ in ſaxis &
marmoribus viſuntur
Autore
II. Boiſsardo veſuntino omnia
ſtudioſe conquiſita & excepta,
Artificib' vero
Theodori de Brij relictis filijs recens
in ære efficta foras data. Francf.
Anno M. DC.

# ILLVSTRI ET GENEROSO VIRO FRANCISCO BOVRZOLLIO, EQVITI AVRATO, BARONI de Baurepos, Domino in Bourzoles, Berbieres, Roſignac, Dauignac, Caſſaide, &c.

PRODIERAT in lucem ante biennium ſub meo nomine tractatus de Topographia Romana: in quo non ſolùm veteris Vrbis typũ videndum Lectoribus propoſui cum ſuis vicis, inſulis, regionibus, & illuſtrioribus ædificijs, tam publicis quàm priuatis, ſacris & profanis, ſed etiam nouæ Vrbis (qualis hodie ſpectatur) deſcriptionem ſatis exactam inſerui tam ſcripto, quàm pictura, ratus hanc meam operam non mediocriter conducere ijs, qui Romam venturi ſunt: qui tanquam manu ducti, poterunt ſine difficultate ſingula, quæ in tanta tamque celebri Vrbe notatu digna ſunt, perſpicere. Et hic meus conatus tam ijs qui in Vrbe degunt, quàm peregrinis viatoribus iudicatus eſt vtilis. Non enim omnes ciues exactè norunt quæcunque in ea ciuitate domibus priuatorum aſſeruantur, aut publicè videnda propoſita ſunt: Et ſi ea norint, multas tamen fabulas ſuis narrationibus immiſcent, tam falſas quàm ridiculas. Vt exempli gratia: Pyramidem illam ad portam S. Pauli mœnibus adhærentem dicunt Rhemi & Romuli eſſe ſepulchrum. Inſcriptio tamen illa, quæ tanti ædificij continetur fronte, oſtendit C. CESTII VII. Epulonum, vel potiùs Collegij Epulonum Sacerdotum fuiſſe conditorium.

Duo illa templa rotunda in foro Romano SS. Coſmæ & Damiano ſacrata, aſſerunt Remo quoque & Romulo ab antiquis dicata fuiſſe. At certum eſt id eſſe falſum, ſed fuiſſe delubra Caſtoris & Pollucis.

Montem Teſtaceum vulgus credit conflatum eſſe ex congerie vaſorum fictilium; quibus peregrinæ prouinciæ annuas tributorum pecunias Romam in ærarium importabant: Et ideo

montem illum dici monte d'ogni terra, quòd ea vaſa in rei memoriam eò ſint proiecta. Alij exiſtimarunt molem illam coacervatam fuiſſe ex fragmentis fideliarum, quæ à figulis reijciebantur in eum locum, ne alueum Tiberis, ad quē habitabāt, impedirent. At ego alibi oſtendi Circum Olympicum, in quo ſeſe iuuentus curſu, ceſtu, equitatione & lucta exercebat, illic fuiſſe: ideo non potuiſſe figulis committi, vt eum in locum excrementa ſuarum officinarum reijcerent. Quodque experientia docet vrnas illas nouas eſſe, integras, & ad mortuorum cineres recondendos accommodatas. Quod meo tempore diligēs harum antiquitatum ſcrutator Antonius Lafrerius Typographus detexit.

Quid dicam de fabuloſa narratione plebis, cur aqua Tiberis Romæ ſit potabilis, & ciſternis clauſa ad multos annos ſeruetur incorrupta: Supra Romam verò breui ſpatio temporis putreſcat. Miraculum hoc effictum cum admiratione recenſent, ante aliquot ſæcula Patricios diſſenſione facta cum Populo, non permiſiſſe plebem haurire aquam ad potum neceſſariam ex puteis domeſticis: Ita pauperes dira ſiti vexatos ad ſancti Pontificis pedes gemebundos procubuiſſe, rogantes vt eius auctoritate reconciliarentur cum Optimatibus: id cùm Pontifex impetrare non poſſet, Vrbanis omnibus puteis maledixit, & Tiberinas aquas conſecratas reddidit potabiles. Ex eo tempore puteorum lymphæ ſemiſalſæ, inſipidæ, & putidæ factæ ſunt in hodiernum vſque diem: Tiberinæ verò ſalubres & ſapidæ: & ex quibus omnes bibunt tā nobiles quā plebeij. Specioſa fabula ſcilicet, & nugis plena: cum certū ſit ex mixtione Anienis nitroſi fluminis Tiberinam aquam à putredine vindicari, & ad lōgum tempus ſaluberrimā cōſeruari.

Eiuſmodi plurima recitātur de ſtatua illa equeſtri ahenea M. Aurelij Antonini, quæ erecta eſt in area Capitolina ſub Ara Cœli: vulgus ait fuiſſe decreto Senatus poſitam cuidam Ruſtico, qui dū Roma à Gotthis obſideretur multa feciſſet ad Vrbis liberationem, & barbarorum repulſionem. Eiuſmodi quoq; recitantur nō ſine riſu hiſtoriæ de infinitis ſtatuis coloſſæis, quas Gigantum fuiſſe credūt: de vaſtis illis lapidum molibus Amphitheatri, quæ humeris Angelorum ſuſtentatæ ſunt impulſæ à Dæmone, dum Pontifex in ſupplicationibus publicis, ex Laterano templo ad S. Petri fanum, quod eſt in Vaticano, religioſè procederet geſtans manibus ſacramentum Euchariſtiæ.

Quæ nō dicuntur de locis illis ſubterraneis, quæ Catacumbæ vocantur, in tēplis ſanctorū Sebaſtiani & Laurentij: de Sepul-

chro

chro illo Porphyritico Conſtantiæ Cōſtantini Magni filiæ, in tẽplo diuæ Agnetis: & id vulgariter Bacchi dicitur conditoriũ. Quę ſi ſtatuiſſem ſingula deſcribere, duplicẽ nugarũ Iliadẽ contexerẽ. Nihil certè eſt, quod à rerum imperita plebe nō publicetur fabuloſe: Quibus dum peregrini aures præbent attentas, faſtidium illis auſcultandi naſcitur, cùm non poſſint verum à falſo diſcernere: nugas tamen has commentitias agnoſcunt.

Hæc fuit cauſa, cur dum Romæ eſſem, breuem illam Vrbis deſcriptionẽ trium diætarũ conſcripſerim in gratiã eorum, qui ex diuerſis Italiæ Academijs ad Vrbem perluſtrandã veniebãt: exiſtimauiq; non parùm conducere ijs, ſi omnia quæ tã publicè, quàm priuatim habentur ab antiquitate nobis relicta, ordine concinno enumerarẽ, quæ ſingula eſſent, quod cuiuſq; ſignum, cuius Dei, cuius viri aut mulieris, cuius artificis: quæ ædes ſacræ, cui Numini deſtinatæ, à quo, & quo tempore dedicatæ, quando demolitę aut reſtauratæ: Theatra, Thermæ, balnea, circi, poticus, arcus triũphales, fora, pōtes, fontes, aquæductus, curiæ, pyramides, obeliſci, columnæ, & alia eiuſmodi, quæ vel integra adhuc ſuperſunt, vel ſemiruta, aut ſolo æquata apparẽtibus adhuc aliquibus veſtigijs: ex quibus ædificiorũ ſepulchrorũq; præſtãtia & ſumptuoſitas, magnitudoq; & opulẽtia Romani Imperij iudicari pōt. Hæc omnia curioſo homini (ſi præſens ea ſpectet aut abſens ſi legat) iucunditatẽ nō mediocrẽ adferet: ſed maximè ſpectatori, ad quem vberior fructus accedet: dũ attẽtè conſiderabit venerãdæ illius antiquitatis reliquias admirãdas, artificũ induſtriã inimitabilẽ in ſculpẽdis & poliẽdis illis marmoribus tã duris, vt omnẽ chalybis aciẽ retundat: quod noſtri lithotomi quotidie experiũtur, in Ophite, in Baſalte, in Porphiro, lapide Aethiopico, & Lydio, alijſq; marmoribus Oriẽtalibus, in quibus exſcindẽdis & ſculpẽdis ſine fructu ſe quotidie enecãt. Videmus tamẽ nihil eſſe tam difficile, ꝙ ingenioſi illi ſculptores antiqui nō potuerint pręſtare. Quãtùm mirabimur, dũ ſpectamus & meritò miramur, qua ſedulitate, quibus machinis vſi ſint in vaſtorũ illorũ lapidũ molibus ſubleuãdis? in erigendis obeliſcis tanti pōderis, qui ferè omnes ex Aegypto, & rupibus Aethiopicis exſciſſi, impenſis incredibilibus Nilo ſecundo perducti ſunt Romã. Hæc quicunq; diligẽtius contẽplatur, attonitus hærebit, neſcius qua arte, quo ingenio tã vaſta onera potuerint moueri, quo modo extolli integra, & per tot ſæcula conſeruari. Quod tamẽ ante paucos annos docuit fieri poſſe Architectus, ille nobilis Dominicus Fontanus Comenſis, qui Sixti VI. P. M. hortatu

 obe-

obeliſcum vaticanum ſuo loco motum, tranſtulit in mediam illam plateam, quæ templo S. Petri, & palatio Pontificum imminet. Illum ſanè meritò noſtri ſæculi nouum Archimedem poſſumus compellare. Dolendum eſt alios duos obeliſcos ex eodem Thebaico vel Ophite lapide factos (qui ad Auguſti Mauſoleum fuerant olim adplicati, meoque tempore rupti in via Flaminia iacebant (non remanſiſſe integros: potuiſſet magnus iſte vir ijſdem conatibus eos rurſus erigere, & locis celebribus collocatos proponere ſpectandos tam ciuibus, quàm aduenis: vt ille vtrumque eleuauit cimento tenaci fragmenta compingens: vnumque non procul à templo S. Marię populi, alterum ad ædes Lateranas tranſtulit.

In his omnibus colligendis & delineandis, non ſine laude cum me inſudaſſe, meoſque labores doctiſſimis quibuſque non diſplicuiſſe animaduerterem, ex eorum ſuaſione & hortatu Topographiæ adiungere ſtatueram inſcriptiones omnes, quæ marmoribus antiquis inſculptę paſſim in Vrbe videntur. Iamque duo prima volumina in publicum prodierant, bonorum omnium applauſu non mediocri: reſtabat adhuc pars maior cælanda, quæ morte ingenioſi viri Theodorici Bryij ſculptoris Leodienſis imperfecta relicta erat. Eamque ſuppreſſam reliquiſſem, niſi amicorum inſtinctu eidem manum poſtremam imponere cogerer. Cum etiam ad hoc opus perficiendum duo Theodori Bryij filij Theodorus & Iſrael parentis induſtriam ſecuti, & nõ minus propenſi ad publicam vtilitatem promouendam, ad hoc ſtudium vltrò ſuam operam mihi obtuliſſent: Quorum beneuolentiam vt amplector, ita quoque mihi fuerit gratiſſimum eorum auxilio quod reliquum eſt abſoluere.

At ne in inſtituto progrederer, mouerat me hoc vnũ, quod tam multi graues viri manum iam antea huic operi adpoſuiſſent, præclaramque laudem inde reportarant vt Cyriacus Anconitanus, Marullus, Mazochus, Apianus, Amantius, Errizus, Guicciardus, Porcatius, Sigonius, Mercurialis, Honufrius, Lazius, Goltzius, Brizonius, Torrentius, Iulius Roſcius, Antlafrerius, Salamanca Hier, Occo, Octauianus & Iacobus Stradę, Gabriel Simeon, Fonteius, & Iacobonus: Quibus acceſſerunt Paulus Knibius qui Romana omnia manuſcripta habuit, & maiorem partem eorum quæ videntur in Italia. Merula excepit Gallicanas inſcriptiones, Pigonius Viennenſes Allobrogũ, idem Cnibius & Ricardus Arelatenſia. Paradinus Lugdunenſia, Huttichius Moguntiaca, Velſeri mi in

Vindelica, Mercator Colonieſiã, Viuianus Cliuenſia: aliiq; plurimi in hoc genere ſtudij egregiam nauarunt operam. Sed inter cæteros opus laude digniſſimum ad publicam vtilitatem ediderunt viri doctiſſimi Carolus Cluſius, Metellus & alij, qui Martini Smetij collectiones correctas, & à Iuſto Lipſio eleganti ſupplemento auctas prælo ſubiecerunt. Poſt quorum conatus ſuperfluum mihi viſum eſt eidem operi manum adponere, ne idem ſcribere, & cognita omnibus obtrudere iudicarer. Quid enim poſſem melius, quid doctius præſtare, quàm quod tot tantique viri præſtiterunt? Sed maximus & eruditiſſimus Gallorum celebris ille Ioſephus Scaliger dicitur Smetiana in manus ſumpſiſſe, & correctiora publicare velle, additis etiam Gallicis inſcriptionibus, quæ non admodum minori numero eſſe dicuntur, quàm Smetianæ. Eas tradiderat Hieronymo Commelino illuſtriſſimi Principis Friderici IIII. Electoris Palatini typographo Heydelbergæ, viro docto & erudito: qui quia ſuperiore anno diem poſtremum obijt, Scaligeranum volumen commiſſum eſt clariſſimo viro Ioanni Gruttero I.C. Palatino Conſiliario, in quibus componēdis & adornandis totus nunc verſatur. Neq; tam excellens opus potuiſſet in manus venire alterius, qui maiori diligentia, exquiſitiore iudicio polleret.

Hæc dum conſiderarem exactius, & abſolutos aliorum labores mihi ante oculos proponerem, mirum nõ eſt, me incepto labori ſuperſediſſe, ne tantos auctores non æquis ſequerer paſſibus. Sed ipſe Cruſius, & Glutterus Meliſſusque viri acutiſſimæ cenſuræ, puſillanimitatem meam ridentes exhortationibus impellunt ad negotium promouendum: Rationemque hanc addunt, quod literatis meæ inſcriptiones nihilominus placere poterunt (licet eadem in medium proferam, quæ & alij) quod cùm ſcriptis lapidum formas, ſigna, & figuras adpinxerim: Et id neminem ante me feciſſe compertum eſt præter Lafrerium, qui centum ad ſummum ædificia, & ſepulchra deſignauit. Roſcius circiter ducenta. Sed Roſcij mihi publicanda commiſſa ſunt: cùm vir optimus à Pontifice Legatus miſſus ad Rhœtos in via defunctus eſt Mediolani, & in æde Sancti Carpophori ſepultus.

Si igitur promoueam cœptum ex ſententia doctorum, non mihi, opinor, vertetur vitio: cùm eorum iudicium legis vice obſeruem & ſequar. Quòd ſi meus conatus minùs reſpondeat multorum expectationi, in arbitrio erit lectorum probare mea ſcripta, vel negligere. Scio tamen omnibus

bus non diſplicitura; ſi ea æqua librent trutina, neque œſtro abſurdæ reprehenſionis,& moroſæ cenſuræ ferantur, qualium hodie numerus nimius eſt. Nihil enim probant plerique, niſi quod ipſi commentati ſunt. Et quamuis rei illius quam reprehendunt, ſint ignariſſimi,non deſinunt tamen in eam ferre cenſuram apud ſui ſimiles.Noſtro hoc malo difficilique ſæculo ſciolis iſtis moris eſt omnia mordere,expungere, improbare,& irridere, ſimiarum more,quæ nudis licet ſint natibus, aliorum tamen defectus notant. Ita hi homines, quicquid alienorum Caborum nanciſcuntur,ea ſtatim ſuperciliosè examinant,librant,trutinant, malicioſe ſingulis inhærentes, vt in puncto vel virgula inueniant, quod correctione dignum videatur.In eo ſarcaſmis, ſibilis, exploſionibus petulanter ad inſaniam vſque ſibi indulgent nodum in ſcirpo quærunt:Et liuore deleri, tantum ſibi demi putant quantum alijs tribuitur. Ideo ringuntur intra ſe, & lippitudine mala laborantes,iubar ſolis ferre nequeunt, ita iſti ad alienam gloriam cœci percelluntur,ac dolore malo tabeſcunt: data opera leuiter prætereuntes,quæ laude digna eſſe, non poſſunt inficiari, & inſiſtentes iis,in quibus vel mediocre vitium comperitur. Malis his animabus ſufficit reprehendere,& vituperare aliena, laudare neminem. His ſatisfacere mei non eſt inſtituti.Sufficit mihi ſi mearum lucubrationum Iudicem vnum aut alterum idoneum nanciſcar, qui mihi mille malorum vice fuerint.

At cum in his antiquitatis reliquijs progreſſurus ſim, ex omnibus noſtratibus te vnum delegi, Heros clariſſime, cuius patrocinio meum librum committam, cum inter Gallos generis ſplendore, animi candore, & literarum ornamento nulli ſis ſecundus:virtutes ſanè in Gallia ſatis raræ, apud nobiles potiſſimum, qui bonarum literarum, & diſciplinarum liberalium cognitionem non admittunt,tanquam illuſtribus indignam ſtemmatibus:ideo pauci inter nobiles inueniuntur qui libris incumbant.Militiæ exercitijs tantùm dediti, reliqua ad ſe pertinere non arbitrantur: quiq; in iuuentute aliquo modo inſtituti fuerunt in ingenuis ſtudijs,adultiores redditi ea diſſimulant,tanquam grandi vituperio digna:hocque ſarcaſmo notant eruditos, eos geſtare gladios ſuos in auribus, redolere caracallam togam, ſapere ſcholaſticum calamum, & eiuſmodi ſcurrilia ſcommata, quæ ab aulicis iſtis Thraſonibus effutiuntur:quorum ſuperba iactantia, & ſtoliditas omnibus ridicula eſt & odioſa. At tibi non eadem animo inſidet opinio, Tu Muſas, tu doctrinam,quo par eſt honore,

pro-

proſequeris,literatos amas, foues,& defendis. Meque antea non viſum ſumma beneuolentia complecteris: quæ me ratio cogit vt aliquo officio me gratum erga te præſtem. Cumque vt tua eſt magnitudo,& opulentia,tenuibus meis iuuari facultatibus nequeas, neque optes,munus hoc literarium tibi offero. Tu, vt bonus audis,eximiæq; & humanitatis & comitatis,boni conſules id quodcunque eſt,quod reuerenter offert tuæ virtuti.

*Tui obſeruantiſsimus ſtudioſiſsimusq;*
*Ioan. Iacobus Boiſſardus.*

## PAVLVS MELISSVS COMES PALATINVS, SACRÆ MILITIÆ EQVES, ET CIVIS ROMANVS, IN TERTIVM LIBRVM inſcriptionum Romanarum.

*ANTIQVITATES, quas perampla Romuli*
*In Vrbe miramur, tua,*
*Boiſſarde,pridem dextera, haud graui ſine*
*Labore pictas,tandiu*
*Latêre priuis ecquid ab in ſcriniis*
*Ecquid tot annis obſitas*
*Senere perfers? ede tandem, amabo te*
*Et has, tuosq; Cæſares*
*Spirante factos è metallo viuidos.*
*Prodeſſe nati, plurimis*
*Proſimus:haud amiculis ſolummodò.*
*Non Imperator hic recens*
*(Vt liberalis eſt ) vetuſtis ceſſerit*
*Penſans labores regibus.*
*Auro coronet ille iuſtis præmijs*
*Tuam remunerans manum.*
*Lauro decoras (namque hac dignus es)*
*Tibi renodabo comas.*
*Addam corymbos, myrteasq; bacculas,*
*Auctorq; poſteris ero,*

*Laudes vt æternante verſus hos*
*Tuo ſculpant honori in marmore.*

VATIQVE PICTORIQVE SOLERTISSIMO
MVSIS AMICO ET GRATIIS
PERENNE BOISSARDO SVPERSTITI, DATVM
VIX QVALE CONSTAT MORTVIS.
MERCEDIS ERGO COLLOCANDVM MARMOR HOC
AETERNA FAMA CENSVIT.

## IN EVNDEM LIBRVM INSCRIPTIONVM DIONYSIVS GOTHOFREDVS. I.C.

QVOD HBH ÆVITERNÆ
SENECTVTEM SATVRNIAM
A DIS MANIBVS INVIDIA
SACRA OCCVLTAM
QVOESITAM DIV ET IRREPERTAM
MVLTIS SÆCVLIS
HERCVLEO LABORE
MANIBVS EORVM AVLSAM
IANVS BOISSARDVS
AEVITATIS ANTISTES
RELIGIOSISSIMVS RESTITVIT
OLLI IANO BOISSARDO
SATVRNIA SENECTVS
HBH ÆVITERNA
DVLCISSIMI FOEDERIS ET
CONIVGII MEMORES
HBHN IN SENECTA
SENECTAM IN HBH
MERITISSIMVM PRAEMIVM
MEMORI DEDERE.

PRO

## PROSPERI VENTIDII VMBRI IN IANI IAcobi effigiem.

*SCIRE cupis quem Boiſſardum Natura creauit?*
*Externam faciem heic picta tabella refert.*
*Internam graphica ſignatam in imagine doctum, &*
*Peligno dignum Vate poëma dabit.*
*Si quos ſuſtulerit dum viueret ille labores,*
*Quæq; habuit terra incommoda, quæq́; mari;*
*Vita eius deſcripta docet: Simulacra Deorum,*
*Et genera, & claſſes, priſcaq́; religio*
*Diuerſis mandata libris, habitusq́; virorum*
*Innumeri, antiquis eruta ruderibus*
*Vrbis Romanæ monumenta Auctoris abundè*
*Ingenium, & facilem dantq́; probantq́; manum.*

## IN EANDEM EFFIGIEM A ROBERTO BOISſardo pictam & cælatam.

*BOISSARDI hæc pictura refert pulchra arte figuram.*
*Cernis vt iſte labos æquet Apellis opus?*
*Quod ſpectas modicum eſt: animi virtutibus ille,*
*Si neſcis, longè præſtat, & ingenio.*

## IN EANDEM EFFIGIEM A NICOLAO LASſæo Catalauno artificioſiſſimè pictam.

*QVIS QVIS contulerit breui huic tabellæ*
*Laſſæi artificis manu expolitæ*
*Boiſſardi faciem ſuperſtitis: vel*
*Is vtrumque putabit eſſe viuum:*
*Aut vtrumque putabit eſſe pictum.*

*Obſeruat diræ ſtrepitumue ſonumue dediſſent,*
*Murmure conceptas quæ impediere preces.*
*Reddita tum poſtquam ſunt vota, & rite litatum*
*Deuotos epulis tunc iuuat eſſe cibos*
*Flaminibus dextræ partes, & pectus, & armus*
*Cedunt: cætera ſunt ſanctificata Deo.*
*Circum aras agitare choros agili pede certant,*
*Atque hymnis Superos concelebrare pijs.*
*Nec tantùm hîc ordo ſacrorum traditur, aut quæ*
*Prodidit antiqua relligione Tages.*
*Sancta hîc ſelecti ſubſunt decreta Senatus:*
*Et pace & belli tempore quæque gerit.*
*Quæ delubra ſuis Diuis, quæ altaria ponat,*
*Quæ monimenta Deis, quæ ſimulacra locet.*
*Queis titulis ornet, qua laude & honore merentes.*
*Per quos resq; domi eſt, & benè geſta foris.*
*Hic circi, hic arcus, & thermæ, & vaſta theatra.*
*Hic flauas Tiberis pontibus arctat aquas,*
*Nobilium hic graphicè ſignata ſuperbia faſtus:*
*Hic conſcriptorum pompa verenda Patrum.*
*Hic oſtenduntur palmatis pallia limbis,*
*Auguſtis tantùm congrua Cæſaribus.*
*Et quæ Magnatum prætextas purpura cingit*
*Patriciæ forma eſt hic ſinuoſa togæ.*
*Hic paludamenti, & chlamidis deſcripta figura,*
*Clauati ſpecies hic trabeata ſagi.*
*Loricæ, & pauidus criſtatæ caſſidis horror.*
*Geſaq;, & immani torta ſagitta Getæ.*
*Sarmaticiq; ingens lunatus militis vmbo:*
*Et metuenda fero dura ſecuris apro.*
*Junctaq; Lucanis Latialia pila verutis,*
*Et peltæ, & clipei, ſpiculaq;, & gladij.*
*Et frameæ, & Scythicæ gentis Corittus & arcus,*
*Et qui multiplici baltheus ære ſonat.*
*Hic Matronarum rhedæ, & pilenta videntur*
*Mollia, & auratis eſſeda facta rotis.*

*Et*

Et quæ Sidonio ſaturata eſt murice palla,
Et ſtola conchyli lemmate texta fluit.
Vt mulier picta placeat ſuccincta crocotta:
Vt ſit ad extremos inſtita tenſa pedes.
Carbaſaq; vt longo ſinuantia ſyrmate terram
Contingant Latijs congrua virginibus.
Quæ crines nebulis textilibus exornantes
Auro illuſtratis emicuere comis.
Pectora præcingunt torques, redimicula frontem,
Cælato circum lucida Sardonyche.
Non illis Adamas, viridis non defuit illis
Smaragdus, non quæ cœrula gemma nitet.
Quiq; & ab Eoa veniens regione Pyropus
Perſtringit flammis lumina tacta ſuis.
Et (qualem digito Berenice aptauerat olim)
Berillus, Phario femina chara Duci.
Et Ptolomææ Cleopatræ inſignis inauris
Vnio, ſed Gnidiæ dignior aure Deæ.
Quicquid & in toto fuerat precioſius orbe,
Romanæ ornari hoc ſe voluere nurus.
Nec tantùm cultus iſtos veſtitus habebat
Quantum in priuatis ædibus extiterit
Sumptus miremur: fuerat dum tota ſupellex
Aurea: gemmatis dum rubuere ſcyphis
Vina, & poſthabito elegit criſtallina vitro
Plebs ſtolida: electro nauſeabunda bibit
Nobilitas plenis potans Setina metretis,
Lubricaque annoſis condita Chia cadis.
Vaſtos menſarum diſtinxit grande Ebur orbes,
Et texit molles purpura fuſa toros.
Tunc quæ non poſitis fumarunt fercula diſcis?
Quæ non eſt auidæ mota ſaliua gulæ?
Vile garum patinas nonquam conſperſit Apici:
Nec beta vt saperet vina piperq; datum.
Sed muli grandes, & quæ Lucrina Peloris
Baianum illuſtrat nobilitatq; ſinum.

Lu-

Luculli placuit murena aſſata palato:
Et turdi, & gelida captus in Alpe lepus.
Vulgares epulas gallina & capo dederunt,
Et vilis viſa eſt tunc galerita coquo.
Nouit diſcrimen pulli puer atq; palumbi:
Perdici & Phaſis puſio riſit aui.
Deiectam ſaturis lucanica mouit orexin:
Neglecti facta eſt perna medela meri.
Texerunt menſas bellaria crebra ſecundas
Scriblita, & ſapidis cruſtula tincta fauis.
Mixtaq; odoratis fluxerunt balnea lymphis,
Structa peregrinis balnea marmoribus.
Adde quòd & priſcis compar impenſa ſepulchris:
(Maxima in extremo funere cura fuit)
Ditia ſubpoſitis oluerunt cinnama flammis,
Stillarunt olidis balſama mixta rogis,
Funereo humanum dum arderet in igne cadauer:
Inſtrueretq; ſuas aſcia cauta Pyras.
Sed poſtquam inferiæ placatis Manibus eſſent
Factæ, & Summano iuſta ſoluta Ioui,
Auro aut argento cineres vel in ære repoſti:
Vrna etenim certum non tulit vlla modum.
His ſuper impoſiti precioſo ex marmore cippi:
Quæq; aræ vernas ſuſtinuere roſas.
Florea circa quas effundere ſerta quotannis
Cognato aſſuerat ſanguine iuncta manus.
Atque vmbram vino atq; epulis placare ſepultam:
Suntq; rati hoc ſeſe rite litare ſacro.
Dum noſtris igitur propono hæc ſingula chartis,
Noſter erit marcens & ſine honore labos?
Nequaquam: meliore anima es: tibiq; intima Phœbus
Corda regit, cuius Numine tacta calent.
Et tibi Caſtalides mitem ſub pectore ſenſum
Ambroſia tincto ſubpoſuere fauo.
Dulcia quo facili decantas carmina metro:
Quæ ſunt Pieria carmina digna chely.

Has

*Has mihi miranti virtutes magnus Apollo*
*Hic tibi Patronus commodus, inquit, erit.*
*Suaue eſt doctorum cenſuram ferre virorum:*
*Queis magis humanum pectus ineſſe ſolet.*
*Ad te igitur ſuaſore Deo, atq; iubente recurro,*
*O Perigordæi gloria prima ſoli.*
*Si tu opus hoc noſtrum vultu meliore probabis,*
*Uno te lætus iudice Victor ero.*
*Nec fuerit durum tantos ſubiiſſe labores,*
*Nec tantum ornandis incubuiſſe libris.*
*Si tibi quæ à nobis fuerint deſcripta placebunt,*
*Suſcepti precium id grande laboris erit.*

## IN TERTIVM LIBRVM INSCRIPTIONVM ROmanarum Boiſſardus ad Lectorem.

*LECTOR, en tibi tertium volumen*
*Inchoati operis: quod exhibebit*
*Priſcas Romulidum tibi videndas*
*Vrbis relliquias. Superſedere*
*Inſtituto operi quidem volebam:*
*Ne grauis tibi lectio otioſa*
*Scriptorum toties foret meorum.*
*Verùm vt progrederer iubent amici:*
*Non qui de numero minus probato*
*Fex ſtulti tulit imperita vulgi:*
*Sed Muſarum & Apollinis ſequaces*
*Magnus Cluſius ille, magnus ille*
*Meliſſus, gemina huius aſtra ſæcli.*
*Franciæ geniale ſidus iſte,*
*Vt ille Atrebatum perenne lumen.*
*Quorum iudicium atq; opinionem*
*Omnes non dubito ſequi eruditos.*
*Id verum eſſe probat breuis librorum*
*Diuenditio toto in orbe, nuper*
*Qui cuſi Bryiis fuere prælis.*
*Haud poſthac mihi lucubrationes*
*Moleſtæ fuerint: nec hæſitaſſe*

*Du-*

*Durum erit pluteo: Et librata amuſsi*
*Circinoq́; quadrata cum rotundis*
*Formas rhombi, hemicycli, & angulati*
*Et cubi latera æqua penicillo*
*Exacto ordine pingere: ſiue pontes*
*Arcus, pyramides, domus, columnas,*
*Erectiq́; obeliſci opus ſtupendum,*
*(Vaticana quod area ad propinqua*
*Vſque nubila tollit) aut theatrum,*
*Vel Circum appoſito exprimam decore.*
*Dum Curſor medium, Pugilue replet,*
*Auriga aut celeres agit quadrigas.*
*Dum ceſtum validis rotans lacertis*
*Victrices apetit cruore palmas.*
*Suggeſtum in Podio tenet Senatus,*
*Ordo Patriciusq́;, & Imperator*
*Orcheſtra reſupinus eſt eadem.*
*Puluillis Equites, & in cathedris*
*Spectant quæ cauea infima geruntur.*
*Vt præcinctio Equeſtria à remotis*
*Diſtinguit Popularibus. cateruа*
*Plebis per cuneos, vias, gradusq́;*
*Diſtributa ſolet Locariorum*
*Iuſſu: (Nam loca ſingulis habenda*
*Deſignator & ordinem indicabat*
*Cunctis:) edita porticus ſupremæ*
*Per ſubſellia feminæ occupabant,*
*Pullati ſimul. Hæc probè vt notentur*
*Curæ erit mihi. Namq́; onus laborum*
*Dulce eſt, ſi vtile ſit bonisq́; gratum.*
*Tu leges igitur, benignè Lector*
*Eadem hæc quoque qua priora fronte:*
*Quartus vt (Superi ſuperſtitem me*
*Si velint, manuum & leuent frequentes*
*Quos chiragra mihi parit dolores)*
*Sequenti tibi præparetur anno.*

VIRTVTI FORTVNA COMES
VIS
CONSILII
EXPERS
MOLERVIT
SVA.

*In ſoro Piſcatorio.*

In domo Marci Aemylini





Apud Marcum Aemÿlinum. in Agone.





*Apud Antonium Fococo in Agone :*

*Apud Ludouicum de Coſchoris.*





*ud Antonium Foceco in Agone.*




*In domo Maphæorum.*




*In domo Maphæorum.*

D.M.L.OSTORIO FELICI L. OSTO
RIVS FORTVNATVS PATRONO
F. ET SIBI ET SEPPIAE PYRALLIDI
CONIVGI SVAE ET H. OSTORIO
AVGVSTALI NI. LIBERTO ET
OSTORIAE CHRYSIDI ET OSTO:
RIO IANVARIO LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM

TVTILINAE S.


NCOLVMITATE ET SALVTE T. CICIONII
POLAVSTI ET C. FORTVNATI MANVBINI
IVM AVGVRVM QVOD SECVRITATI AETER
E VOLVERVNT.

*Prope Maphæorum ædes.* 70

VM ANINIANAE COGNATIONI SAC.

IVS DRVSILIANVS CESTIVS ET PVR.

TI. CLAVDIVS
DRVSI F. CAESAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT.
VIII. IMP. XVI. COS. IIII.
CENSOR. P. P.
AVCTIS POPVLI
ROMANI
FINIBVS POMOERIVM
AMPLIAVIT
TERMINAVITQVE.
PIETAS AVGVSTAE.

In domo Maphaeorum 




D

IVLIVS FELIX CAMPANIA
NVS V.C PRAEFECTVS VRBI
AD AVGENDAM THERMARVM
TRAIANARVM GRATIAM
CONLOCAVIT

*Apud Maphæos*






*Apud Maphæos.*

*In domo Maphaeorum*




M.AVFIDIO FRONTONI
PRONEPOTI M.CORNELI
FRONTONIS . ORATORIS
CONSVLIS MAGISTRI
IMPERATORVM LVCI
ET ANTONINI NEPOTIS
AVFIDI VICTORINI
PRAEP. VRBI BIS CONSVLIS
FRONTO CONSVL
FILIO DVLCISSIMO .

*In domo Marci Antonii Alterii: antiqua inſcriptione abraſa, ſubſtituta eſt haec recens in candidiſsimo marmore.*

*Vetus inſcriptio talis erat*

D. M. CANDIDO ALTERIO FILIO
DVLCISSIMO C. ALTERIVS PATER
INFELICISSIMVS P.

VIX. ANN. XVII. M VI D III.
ET CANDIDAE ALTERIAE F.
VIX. ANN. IX D X.


DIIS MANIBVS
IVLIAE PANTHEAE
DIADVMENVS ET
PLOCAMVS SVAE.


D M
TROPHIMES
HERMES
CONIVGI B. M.
D M
IVLIO DIADVMENO
FILIO
IVLIVS CORVNQA
NIVS
VIX. HOR. IV.
HORA BREVIS VITAE
LETVM TVLIT.
DIS MAN
MONVMENTVM
HOC VOLENS
QVI VIOLAVERIT
ILLI
MANIVM NVMINA
IRATA
SVNTO.

F


T. FLAVIO. AVG. L.
SEDATO
ANTONINIANO
P. CORNELIVS
IASO PATRI
PIISSIMO

*In Templo Iunonis : quod eſt in foro piſcatorio*




DIS MAN.
LICINIAE
CHRISIDI
L. LICINIVS
FREGELLANVS
LIBERTAE.
B. M. F.


IOVI
SERENO
NVMISIVS
ALBINVS
EX VOTO




*In domo Gabrielis Vallati ad forum Piſcatorium*


TI. IVLIO
AVG. LIB.
ALCIDI.
IVLIA PRONOE
PATRONO
BENEMERENTI
FACIVNDVM
CVRAVIT.
EX TESTAMENTO EIVS.

*Apud Gabr. Vallatum.*



*Ad templum Iuuonis foro Piſcatorio.*

PIISSIMO FE
LICISSIMOQVE
PRINCIPI
VALENTINIANO
INVICTISSIMO
SEMPER AVG


D. M. S.
T. BYRRENIVS
PHILIPPVS FECIT
SIBI ET SVIS ET
LIBERTIS LIBERTA
BVSQVE POSTERISQVE
EORVM.

DIS
MANIBVS
Q. VINCIAE
SP. F
SABINAE




*In templo S. Mariæ del Pianto.*




*In templo S. Nicolaj.*

In templo S. Nicolai

Ara hac in duas partes diviſa est
Et duobus altaribus inſervit



*Pars altera precedentis aræ quæ eſt in templo s.te Nicolai*



*In domo Iacobi de Sta Croce. foro Piſcatorio.*

FIDEI
SIMVLACRVM
HONOR
AMOR
VERITAS
D. M. S.
T. FVNDANIVS EROMENVS VIVVS
FECIT SIBI ET POPPAEAE DEMETRIAE
CONIVGI KARISSIMAE ET MANI.
LIAE EROMENIDI ALVMNAE ET
LIBERTIS LIBERTAB. POSTERISQ. EOR.
K

*Apud Iacobum de S.ta Croce in foro Piſcatorio.*

FVRTANIA L. F. SATVRNI
NA FECIT SIBI ET

A. MANNEIO A. F. COR. CELSO FILIO SVO
MILITI COHORTIS VII. PRAETORIAE. ET
M. VALERIO ISMARO CONIVGI SVO. ET
M. VALERIO M SEMNO VERNAE SVO. ET
M. VALERIO ISMARI L. HESYCHO TVTORI SVO ET
SATVRNINAE VENERIAE VERNAE SVAE. ET
EMCHARINIAE LIBERTAE. ET
SECVNDAE VENERIAE VERNAE SVAE ET
LIBERTIS LIBERTABVS POSTERISQVE EORVM

NATALI VENERIAE VERNAE SVAE.

*In aedibus Jacobi de S.ta croce foro Piscatorio.*




Apud Iacobum de S.ta Croce.

In insula Tiberina.




*In insula Tiberina.*

*In domo Norciarum.*

*Apud Calatium*
*foro Piſcatorio*



*Apud Calatium.*

IVNIAE
TORQVATAE
VVL. ALCE
FECIT SIBI ET
CARISSIMO
C IVNIO EPAPHO
CONLIBERTO ET
VIRO OPTIMO

M

DIS MANIBVS
SACRVM.
LAPONITHESPI
VIXIT ANN. XX.
APONIA SYNERVSA
CONIVGI SANCTISSIMO
OPTIME
DE SE MERITO.


TI. CLAVDIO
TI. FIL.
QVIR PROCVLI
ANO BENEMEREN
TI. CLAVDIA
PROCINA SOROR
FECIT. VIX. ANN. VIIII.
MENS. IIII. DIEB. XIII
DIS MANIBVS.
SEX. PERPENNA ARGYRVS
ET PERPENNA OMPHALE
SIBI LIBERTISQVE SVIS ET
LIBERTIS LIBERTABVS
POSTERISQVE EORVM
H. M. D. M. A.

Ante ædes Quęſtoris Cincij

*Ante ejuſdem Cincij ædes*

N


Q. EPPIVS Q. F. CORRVE
CLODIA C. F. SILENIO
EPPIA. L. F. PAVLI VOLE
N NIANA MATER
EPPIA M. F. POLLA.


T. FLAVIO. AVG. LIB.
SATVRNINO TABVLA
RIO AVEHICVLIS FLAVIA
PYTHIAS CONIVGI SVO
CARISSIMO ERGA DE SE BE
NEMERENTI FECIT ET
SIBI LIBERTIS LIBERTABVSQ
POSTERISQVE EORVM.


D. M.
METRODORO DE
DOMV FRVCICIA
RI BENEMERENTI
VIXIT ANNIS
V. FECIT
MATER
D M S
P. POMPONIVS FAVSTINVS OCTAVIO
PAVLIO FILIO B. M. FECIT SIVI ET
SVIS LIB. LIBERTABVSQVE POST
ERISQVE EORVM.




*Apud Franciſcum Liſcam*
*in Hyperione*

*In Monaſterio S.ᵗᵃᵉ Mariae in Via*




*Apud Franciſcum Liſcam in Hipcrionem*




PHOSPHORVS
DEDICATA III. KAL MAIAS
D.N. GRATIANO IIII ET
MEROI AV
LVCIO AVR. ANIANO SYMMACHO V̄C
PRAEFECTO VRBI CONSVLI PRO PRÆFECTIS
PRAETORIO IN VRBE ROMA FINITIMISQVE
PROVINCIIS PRAEFECTO ANNONÆ VRBIS
ROMAE. PONTIFICI MAIORE QVI N. DECEM
VIRO S. F. MVLTIS LEGATIONIBVS
PRO AMPLISIMI ORDINIS DESIDERIIS
APVT DIVOS PRINCIPES FVNCTO QVI
PRIMVS IN SENATV SENTENTIAM ROGA
RE SOLITVS AVCTORITATE PRVDENTIA ATQVE
ELOQVENTIA PRO DIGNITATE TANTI ORDI
NIS MAGNITVDINEM LOCI EIVS IMPLEVE
RIT AVRO ILLVSTREM STATVAM QVAM
A DOMINIS AVGVSTISQVE NOSTRIS SENATVS
AMPLISSIMVS DECRETIS FREQVENTIBVS IM
PETRAVIT IDEM TRIVMFATORES PRINCIPES
NOSTRI CONSTITVI ADPOSITA ORATIONE IVS
SERVNT QVÆ MERITORVM EIVS ORDINEM
AC SERIEM CONTINERET QVORVM PERENNE
IVDICIVM TANTO MVNERI HOC QVOQVE AD
DIT VT ALTERAM STATVAM PAPI SPLEN
DORE ETIAM APVD CONSTANTINOPOLIM
COLLOCARET.

*Apud franc: Liſcam.*

Apud franc: Liſsam in Hyperione





*In domo Franciſci Liſcæ in Hÿperiono*









*Apud Franc: Liſcam in Hiperione*

d Mineruam.


DIS
MANIBVS
TI. FLAVI
HERMETIS.


LEIBERTORVM ET LEIBERTARVM
C MECENATIS L.F. POM
POSTERISQVE EORVM ET QVI AD ID
TVENDVM CONTVLERVNT
CONTVLERINT


D. M.
PLOCVSAE SVAE
ALDVOVORIX
AVTV. COL. VIC.
SEQVAN.


C. LIVIVS. C. F.
IVSTVS
NOVARIA MIL
COH IIII. P. R.
D. LICINI MILIT
ANN XVIIII
VIX ANN XXXVII
H. S. E. T. F. I
D. M.
T. IVLIO
ROSIANO
APOLLINARI
MEDICO
ARESCON ET
CALISTVS LIB
PATRONO B.M.F
D. M.
C. PLINII.
VALERIANI
MEDICI
QVI VIXIT
ANN XXII. M.VI.D.V.
PARENTES

*In palatio Norciarum: quod dicitur domus Epiſcopi Aquinatis. Ab utraque parte Eadem Eſt inſcrptio.*

*In domo Nonciarum*

A. 62

B. 63

*In domo Norciarum.*

*In domo Epiſcopi Aquinatis. Ab utraque parte eadem legitur inſcriptio.*

*In Palatio Norciarum. Vbi eſt ſtatua Adonis.*



*in foro Piſcatorio*
*Apud Gab Vallatum.*

*In palatio Cardinalis Capo ferrati*
*regio domus Norciarum*



M. VLPIO AVG. LIB. PHAEDIMO
DIVI TRAIANI AVG. A POTIONE
ITEM A LACVNA TRICLINIARCH.
LICTORI PROXIMO ET A COMENT
BENEFICIORVM VIXIT. ANN. XXVIII.
ABSCESSIT SOLINVNTE PRID. IDVS IVL.
NIGRO. ET APRONIO COSS.
RELIQVIAE TREIECIAE EIVS
III. NONAS FEBR. EX PERMISSV
COLLEGII PONTIFIC. PIACVLO FACTO
CATVLLINO ET APRO COSS.
DVLCISSIMAE MEMORIAE EIVS
VALENS AVG. LIB. PHAEDIMIANVS
A VESTE BEN. MER. FECIT.

S

*Ad ædes Farneſias.*




*Apud Manginellum Boccaferratum*




IMP. CAESAR DIVI F AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. BOTEST. XV
EX STIPE QVAM POPVLVS ROMANVS
ANNO NOVO ABSENTI CONTVLIT
NERONE CLAVDIO DRVSO
T. QVINCTIO CRISPINO
COS
VOLCANO.

*Apud Saluiatos ſub Capitolio.* 



*Apud Salviatos.*
72

T


ΜΗΤΡΙΟΝ ΕΡΜΩΠΟΑΕΙΤΗΝ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ ΠΑΝΙΚΡΑΤΙΑC ΤΗΝ ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗ
ΠΑΛΑΙC ΤΗΝ ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ ΑΛΕΙΠΤΟΝ
ΤΟΝ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ΞΥΜΠΑΝΤΟC ΞΥCΤΟΥ
ΔΙΑΒΙΟΥ ΞΥCΤΑΡΧΗΝ ΚΑΙ ΕΠΙΒΑΛΑΝ
ΩΝ CΕΒ. ΤΟΝ ΠΑΤΕΡΑ
Μ. ΑΥΡ. ΑCΚΛΕΠΙΑΔΗC ΚΑΙΟ ΕΡΜΟΔΩΡΟC
ΝΕΩΚΟΡΟC ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ CΑΡΑΠΗΔΟC
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΥC ΕΡΜΩΠΟΛΕΙΤΗC ΠΑΝΚΡΑ
ΤΙΑC ΤΗC ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗC ΑΛΕΙΠΤΟC
ΑCΥΝΕΞΩCΤΟC ΑΝΕΚΛΗΤΟC ΞΥCΤΑΡ
ΧΗC ΔΙΑΒΙΟΥ
Ο ΑΡΧΙΕΡΕΥC ΤΟΥ CΥΜΠΑΝΤΟC ΞΥCΤΟΥ ΔΙΑΒΙΟΥ
ΞΥCΤΑΡΧΗC ΚΑΙ ΕΠΙΒΑΛΑΝΕΙΩΝ ΤΟΥ CΕΒΑCΤΟΥ.
ΔΙΜΗΤΡΙΟC
ΑΡΧΙΕΡΕΥC

*Ante ædes Hieronymi Coccinæ non procul a Saliciatis*



*Prope Theatinos. ſub arcu.*


D. M.
CN. IVLI CN. F.
DOMATI PRISCI
EX EQVO PVBLIC
ADIVTORIS
HARVSPICVM
IMPERATORIS
PONTIFICIS
ALBANI

M LARCIVS
L F PROMPTINA
PVDENS VETER
T F ARBITRIO
LARCIAE FORTVNATAE
VXORIS
H M H N S

*In domo Salviatorum.*






*In domo Saluiati*



D. M.
CORNELI
PRIMITIVI
C. CORNELIVS
FELIX
ALVMNO
KARISSIMO
FECIT.

X


D M
L. BRECILIO FORTVNA
TO ET PRECILIAE NICENÆ
MATRI EIVS
PATRONIS. B. MER.
DAMALI CONLIBETAE
L. PRECILIVS TROPHIMVS


D. M
CLODIAE DAPHNIDI
FECIT CLODIA PRODOCE
MATRI INDVLGENTISSIMAE
ET SIBI ET FORTVNATO
DECVRIAE SCRIB. LIBR. AED.
CVR. ET LIBERTIS LIBERTAB.
POSTERISQVE EORVM.


DIS MAN
IVLIAE L. F CELE
TITI CLADII EVSCHEMVSETI P
CLAVDIAE QVIANAE EVSCHEMVS SORORI
PRIMITIVVS MATRI
EVSCHEMVS CONSOBRINAE SAMIARIAE ARETHV
SAE ISDEM CORPORIBVS TRALATIS PERM. TRIB. PLEB. ET
TI. CLAVDIO EPAPHRODITO IATAE BENEMER. FECER.
ET SIBI ET SVIS LIBERTIS LIBERTABVS POSTERISQVE
EORVM

*Apud Paulinos.*




DIIS MANIBVS.
Q. PROPERTIVS SECVN
DVS FECIT SIBI ET
PROPERTIAE TRIPHOCAE
PATRONAE SVAE BENE
MERENTI ET
PROPERTIAE DINAMI
LIBERTIAE ET CONTVBERNALI
SANCTISSIMAE.

Y

TI. IVLIO FELICI MAN
NEIA TREPTE ETTI IV
NIVS PHILONICVS HERE
DES FECERVNT.


M. VALERIVS TROPHIMVS ET SEPTIMVS
MAXIMVS AMICI KARISSIMI FECERVNT
SIBI ET SVIS LIBERTIS LIBERTABVSQVE
POSTERISQ EORVM
IN FR. P. XXVS. NAG. P. XXVIIS.

*in templo S. Mariæ in Monticella*

S. Mariam
Monticella



*Ante ædes Mary delſini*






Z

CVTIA M. L.

EVROPA.

EX TESTAMENTO HS CCIↃↃ

M. POPILIVS M. L. SOTERICVS

SIBI ET LIBERT. LIBERTAB. POSTERISQ. EIVS.

HVIVS MONVMENTI SIVE SEPVLC[H]RVM EST

PARS TERTIA EST

D. FIDVTIVS

D. L. HERACLIDA

SIBI ET

LIBERTIS LIBERTABVSQ.

SVIS POSTERISQVE EORVM

HVIVS MONVMENTI SIVE SEPVLCRVM EST

PARS TERTIA EST. M. D. FIDVS II HERACLIDAE

C. MINIVS L. L. DIOGENES SIBI ET LIBERT

LIBERTAB. POSTERISQ. EIVS. HVIVS MONVMENTI

SIVE SEPVLCHRVM EST PARS TERTIA EST

IN FR. P. XIX.

IN AG. P. XVI.


AQVILONI AQVILO
NES VICIT XXX
SECVND TVLIT
LXXXVIII
TER TVLIT
XXXVII
NIRTINVS N·AQVILO
NIS VICIT CXIIII
SECVNDAS TVLIT
LVI TER. TVL
XXXVIJ
D. M.
CLAVDIA HELICE
ET CL. AVI LL. DIONYSIO
CON D GR RVSSATAE
CONIVGI DIGNISS


D. M.
C. ATTIVS
APPONIANVS
MIL. COH. XI

GENIO
NVMINIS
FONTIS SERMON
CHRYSEROS
CAESARIS
NOSTRI
GANGALA.


TI. CLAVDIO VOL
DEMETRIO ET
CLAVDIAE IANVAR.
TI. CLAVDIVS VOL.
ASTVTVS ET
CLAVDIA LVCANA
PARENTIB SVIS FECER
ET SIBI POSTERISQVE
EORVM.


SILVANO
SACR.
AMPLIATVS
HILARI
AVGVSTOR
LIBERTI SER
VIEICVS
D. D.
T. FLAVIVS
QVIRIN
ATHENAEVS
QVINTILIAE
VXORI KARISSIMAE.

DIS MANI
P. CIPIO SEVERO
CAECILIA PRIMILLA
CON.IVGI CARISSIMO


HOC IACET IN TVMVLO SECVRA GLYCONIS HONESTO
DVCIS NOMEN ERAT ANIMA QVOQVE DVLCIOR IPSA.
QVAE NVCQVAM TETRICOS ERIT SIBI LVCIS HONORES
SED MAGE LASCIVOS SVABES BACCHOQVE MADERE
SIMPLICITATE SEQVI CANTVS MOLLESQVE CORONA.
LVSIBVS IPSA SVIS GENERABAT SAEPE ET AMORE
DVLCE SIBI NATISQVE SVIS QVOS PVBE RELIQVIT
CASTOREA FRATRIS SVB IMAGINE QVOS GENERAVIT
DIGNA QVID EMERVI PERPETVA DE LVCE BENIGNA
SED CELERANT QVO NOS FATA SEVERA VOCANT
P. MATTIVS CHARITON CONIVGI. B. M. F.

ΠΑΤΗR ΧΑΙΡϵ.
D. M. S.
AVREL. DIOGENETI
SACERDOTI VENE
MERENTI FECIT
AVRELIA CAENIS
CONIVGI CON QVI
VIXIT ANNIS XXII.

VRSA
NERATI
PRISCI SER
VIX ANN. X
M. II. D. XV
L. NERATIVS
CANDIDVS
FILIAE
CARISSIMAE
FECIT.

D. M.
P. BATONIO THALIARCHO
FECIT
BATTONIA PRIMILLA
FILIA PATRI
OPTIMO ET PIISSIMO.

ΘΕΟΙϹ ΚΑΤΑΧΘΟ
ΝΙΟΙϹ
ΔΗΜΗΤΡΙΟϹ
ΖΩΔΑΡΙΩ ΜΗΤΡΙ
ЄΥϹЄΒЄϹΤΑΤΗ ΚΑΙ ΘΥΓΑΤΗΖΩ

D M
VENNONIO
F. SCAPSIA
ALENTI A. L.
INO MIL. COH.
IIII. PR. > CHA
RITONIANI
IL. ANN. XV. VIX.
ANN. XXXIII. FEC.
PLAVTONIVS EX
RATVS MIL. COH.
IIII. > EADEM.
ET CHARISIVS.

DIS MANIB.
M. CASSI M. F.
GEMINIANI
VIXIT A. VI. M. V. D. XVII.
M. CASSIVS FRVCTVS
ALVMNO ET SIBI.


D. M.
PHOEBI CAES N.
SER.
FECIT
BOTRVS CAES. N. SER
FRATRI PIISSIMO
POSTERISQVE SVIS.


CN. OCTAVIVS. TITINIVS CAPITO
PRAEF. COHORTIS TRIB. MILIT. DONAT
HASTA PVRA CORONA VALLARI PROC AB
EPISTVLIS ET A PATRIMONIO. ITERVM AB
EPISTVLIS DIVI NERVAE EODEM AVCTORE
EX S. C. PRAETORIIS ORNAMENTIS AB EPISTVL
TERTIO IMP. NERVAE CAESAR. TRAIANI AVG.
GER. PRAEF. VIGILVM VOLCANO D D.


L MVSSIVS HEGESIPPVS
HOC MONIMENTVM FECIT
SIBI ET CAESENIAE EVGENIAE
CONIVGI BENEMERITAE
ET LIBERTIS LIBERTABVS
QVE SVIS POSTERISQVE
SVIS.
HOC MONIMENTVM
HEREDEM NON
SEQVETVR.
D M
C. RVTILIO C.F.
SAB. HOMVNCIO
NI MANVA
MIL.COH.VII.PR.
7 VALLI MIL.
ANN.XIIII.VIX.
ANN.XXXII
H.B. M.F.
NIA P.L. FLORA EX
TAMENTO BONAI DEAI
SACRVM.
ANNIA SOROR
ISIA LIBERTA
FACIVNDVM
CVRARVNT.
ANNIA P.L.ELORA EX
TESTAMENTO BONAI DEAI
SACRVM.
ANNIA SOROR
ISIA LIBERTA
FACIVNDVM
CVRARVNT.


D. M.
MINDIA IVLIA ET P. AELIVS PHILETVS COM
PARAVERVNT SIBI ET LIBERTIS LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE EORVM HIC LOCVS CVM HORTV
LO SVO RELIGIOSO ET AEDIFICIOLIS SVIS
MVRO CINCTVS AD SEPVLCHRVM MINDIAE IVLIAE
ET P. AELI PHILETI PERTINET. ET NEQVIS EA LOCA
S S. NEQVE VENDERE NEQVE DONATIONIS CAVSA
NEQVE DE NOMINE VTRORVMQVE EXIRE POSSIT
QVOD SIQVIS CONTRA HANC INSCRIPTIONEM FECERIT
INFERET POENAE NOMINE ARCAE PONTIFICVM
SS. L N. H. M. ET LOCIS S S D M A

D. M
C. FABERI C. F.
PAL. GALENI
VIX. ANN. II. M. VI. D.V.
FABERIA GALENE
FRATRI DVLCISSIMO.


D. M.
DOMITIAE
EVTYCHIAE
DOMITIVS
EVTYCHES
MATRI DVI.


DIS MANIBVS
C.LIVINEIO C F.
MARCELLINO FEC.
C.LIVINEIVS
PHALOSTORGVS
FILIO SVO PIISSIMO
VIX. ANN.V.M.II.DIEB
XXV. IN FR. P. VII.
IN. AGR. P. V.
IN FRON. P. VII
IN AGR. P. V


D M.
FLAVIAE
EVTYCHIAE
T. ARRVNTIVS
PRIMVS CONIV.
OPTIMAE F.

ΘΕΑ ΕΠΙΧΘΩ
ΝΙΩ ΤΥΧΗ
ΤΙΤΟϹ ΨΑΛΟΥΙ
ΟϹ ΟΥΙΒΙΑΝΟϹ
ΑΝΤΙΟΧΟϹ ΑΝΕ
ΘΗΚΕΝ

DIS M
MALIAE
POLITICE
L.CORNELIVS
IVSTVS
CONIVGI B. M.F.

EVCHARIS LICINI

DOCTA ERODITA OMNES ARTES VIRGO VIX
HEVS OCVLO ERANTE QVEI ASPICIS LĒTI DOMVM
MORARE GRESSVM ET TITVLVM NOSTRVM PERLEGE
AMOR PARENTEIS QVEM DEDIT NATAE SVAE
VBEI SE RELIQVIAE CONLOCARENT CORPORIS
HEIC VIRIDIS AETAS CVM FLORERET ARTIBVS
CRESCENTE ET AEVO GLORIAM CONSCENDERET
PROPERAVIT HORA TRISTIS FATALIS MEA
ET DENEGAVIT VLTRA VEITAE SPEIRITVM
DOCTA ERODITA PAENE MVSARVM MANV
QVAE MODO NOBILIVM LVDOS DECORAVI CHORO
ET GRAECA IN SCENA PRIMA POPVLO APPARVI
EN HOC IN TVMVLO CINEREM NOSTRI CORPORIS
INFISTAE PARCAE DEPOSIERVNT CARMINE
STVDIVM PATRONAE CVRA AMOR LAVDES DECVS
SYLENI AMBVSTO CORPORE ET LĒTO IACENT
RELIQVI FLETVM NATA GENITORI MEO
ET ANTECESSI GENITA POST LĒTI DIEM
BIS HEIC SEPTEM MECVM NATALES DIES
TENEBRIS TENENTVR DITIS AETERNA DOMVS
ROGO VT DISCEDENS TERRAM MIHI DIC

C IVNIO C. F. QVIR
FLAVIANO

PRAEFECTO ANTONIANAE
PROC. A. RATIONIBVS PROC
PROVINCIARVM LVGDVNENSIS
ET AQVITANICAE. PROC HEREDITAT
PROC. HISPANIAE CITERIORIS
PER ASTVRICAM ET GALLAECIAM
PROC. ALPIVM MARITIMARVM
PROMAGISTRO HEREDITATIVM
TRIB. MIL. LEG. VII. GEM. PONTIF MINORI

MERCATORES, FRVMENTARI
ET OLEARI AERARI.

L. NAEVIVS L. F. VOT.
POLLIO
L. NAEVIO L. L.
DIOMEDI.




*Apud Marium Delfinum.*

*Apud Marium Delfinum.*



N A C O N T I N
L. RANIO OPTATO C. V. COS
CVRATORI REIP MEDIOLANENSIVM CVRAT
REIPV NOLANORVM PROCOS PROVINCIAE
NARBONENSIS LEGATO AVG. ET IVRIDICO
ASTVRIAE ET LAECIAE CVRATORI VIAE
SALARIAE CVRTORI REIP VRBINATIVM
MATAVRESIV LEGATO PROVINCIAE
ASIAE PRAEF IS TRIBVNOPLEBI
QVÆSTORI IS CAES O I


IIII VIRO VIARVM CVRANDARVM
TRIB. MIL. LEG. V. MACED. Q. VRBANO
AEDILI PLEB. CERIAL. PRAET. LEGAT.
PROVINCIAR SICILIAE ET ASIAE
PROCOS PROV. GALIAE NARBONENS.
LEGATO LEGIONIS VIII. AVGVSTAE
L. VETTIVS FELIX ET P. NOVELLIVS ATTICVS
AMICI


D. M.
T. FLAVIO. AVG. LIB.
LIBERALIS AEDITVO
AED. MARTIS VLTORIS
CLAVDIA EXOCHE
CONIVGI
BENEMERENTI ET
SIBI FECIT
VIXIT ANN. LVII.
T. AVRELIVS AVG. LIB. SATVRNINVS
AVRELIAE CAPRIOLAE. SANCTISSIMAE
CONIVGI BENEMERENTI ET AVRELIO
SATVRNINO F. LIB. LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE EORVM




*Apud Marium delfinum*






*Apud Marium Delfinum*



*Apud Marium Delfinum*






*Apud Marium Delfinum.*




*Apud Marium Delfinum.*


DIS MAN.
COSSVTIAE
ARESCVSAE F.
CN. COSSVTIVS
AGATHANGELVS
CONIVGI
SVAE BENE
MERENTI
VIXIT ANNIS
XXXXV.
DIS MAN.
CN. COSSVTIVS
CLAPVS
CN. COSSVTIVS
AGATHANGELVS
FRATRI SVO
ISDEM LIBERTO
BENEMERENTI F.
VIXIT ANNIS
XXXV.


D. M.
M.VLPI OLYMPI
VIX. AN.Y.M.XI.D.XIX
M.VLPIVS SPATAIVS
ET VIPPIA RHODE F
DVLCISSIMO
D. M.
TELESPHORI D. F
VIX.AN.XXV.M.III.D.XI
DOMITIAE
DOMITIANI
ORNATRICI
THEOPOMPVS
CONIVGI SVAE
IMP. CAES. TRAIANVS AVG GERM
DACICVS GENTEM DACOR ET REGEM DECEBALVM
BELLO SVPERAVIT SVB EODEM DVCE LEG. PRO PR. AB
EODEM DONATO HASTIS PVRIS VIIII. VEX. ILLIS VIII
CORONIS MVRALIB. II. VALLARIBVS II. CLASSICIS II.
AVRATIS II. LEG. PRO P.R. PROVINCIAE BELGICAE. LEG. LEG. I
MINERVIAE CANDIDATO CAESARIS IN PRAETVRA
ET IN TRIBVNATV PLEB. QVESTOR PROVINCIAE
ACHAIAE IIII. VIRO VIARVM CVRANDARVM
HVIC SENATVS AVCTORE IMP. TRAIANO AVG
GERMANICO DACICO TRIVMPHALIA ORNAMENTA
DECREVIT STATVAMQ. PECVN. PVBLIC. PONEND. CENSVIT

Ef


D M
M VLPIVS AVG LIB
HERMA A CVRA AMICOR
FECIT SIBI ET VLPIIS
PYTHE AGATHOPO SVCCESSO
ET NICANDRO CAES N SER ET
LIB LIBERTAB POSTERQ EOR ET
ARARIO SOTERI ET SETRIAE
IVLIANAE AMICIS BENE
MERENTIBVS


ARRI. C. F. PVP. N.
TVS SASSINA MILES
P. R. 7. PRVDENTES
N. XI. VIXIT ANNIS
CIT. C. ARRIVS
S. LIBERTVS PATRO
MERENTI ET SIBI ET SVIS.

DIS MANIB.
AVRELIAE
FORTVNATAE
VIX. ANN. XX.
T. AVRELIVS
LEMNVS
VXORI OPTVMAE.




*Apud Marium Delfinum*






*Apud Marium Delfinum.*

*In domo Marij Delfini*


DIS MANIBVS
MYRINI DOMITIANI
PVBLICI A COMMEN
TARIIS XV. VIR. S. F.
ARVNTIA DOLICHE
FECIT CONIVGI CARIS
SIMO. ET LIBERTIS LI
BERTABVSQ. SVIS POS
TERISQVE EORVM.
VIRO BENEM
DE SE MILITI
COH. II. PRAETO
RIAE 7. CASSI. CA
TVLLI. V. A. XXXV
MILITAVIT A. XVI
ET SIBI POSTERISQVE
SVIS.
T. SVIS
AC DE EMIT SIBI
POSTERISQ.
VIII
IS VACAT V
DIS MANIBVS
FLAVIAE APOLLINARI
NEPTI SVAE VIX. A. VIII
QVOD NEPTIS AVIA FACERE
DEBVIT AVIA FECIT NEPTI
SVAE SACR


IMP. CAESAR
VESPASIANVS AVG.
PONT. MAX. TRIBVNIC
POTEST. VI. IMP. XIIII. P P.
COS VI. DESIG. VII. CENSOR
LOCVM VINEAE PVBLICAE
OCCVPATVM A PRIVATIS
PER COLLEGIVM PONTIFICVM
RESTITVIT.

ΤЄΡΜΑΒΙΟΥ ΤЄΛЄCΑC
ΠΑΙC ΤΑΙΟC ЄΝΘΑΔЄ ΚЄΙ
ΜΑΙ ΚΗCΑC ЄΙΔΟC ΥΠΟ
ΚΡΙCЄωC ΟΚΤω ΚΑΙ ΔЄΚ·Є
ΤΗ ΖΗCΑC ΑCΚΛΗΠΙΟΔω
ΡΟC ΓΗCωΝ ΠΡΟCΘЄΓΟ
ΝΟΙ ΜΗΤЄΡΑΓΑΙΑΝ ЄΧω.

D. M.

PARIS IMP. DOMITIANI
AVG. GERMANICI SER.
MINISTRATOR SIBI ET
CLAVDIAE AGATHE TVCHE
CONIVGI BENEMERENTI

QVAE VIX. ANNIS XXI.

RVSTICELLA M·L. CYTHERIS

DEBITVM REDDIDIT X·K·FLL. MALVGINENSE ET PLESO COSS.
QVANDOCVNQVE LEVIS TELLVS MEA CONTEGET OSSA
INCISSVM ET DVRO NOMEN ERIT LAPIDE
QVOD SI FORTE TIBI FVERIT FATORVM CVRA MEORVM
NE GRAVE SIT TVMVLVM VISERE, SAEPE MEVM.
ET QVICVNQVE TVIS HVMOR LABETVR OCELLIS
PROTINVS INDE MEOS DEFLVAT IN CINERES.

QVID LACRVMIS OPVS. EST RVSTICELLI CARISSIMF
CONIVX EXTINCTOS CINERES SOLICITARE MEOS
VNA DOMVS CVNCTIS NEC FVGIENDA VIRIS
V QVOT VOLVI TEMPORE TEMPVS HABET
NONDVM BIS VICENOS ANNOS·COMPLEVRAT ANNVS
SVPREMVM PARCAE SORTE DEDERE MIHI


IVLIAE PLEBEIAE
IN HONOREM
ALEXANDRI ET DEME
TRI CAESARIS AVG. L.
EX DECRETO DECVR
OLLA PVBLICE DATA EST.


D. M.
LIBERTORVM
T. FLAVI AVG. LIB.
VICTORIS.
A CVRA AMICORVM.

DIS MANIBVS
SYNTYCHE
VIXIT ANNIS XXVII
PHILETVS FECIT
SODALI SVAE
BENEMERENTI

Θ K.

ΕΙΚΟϹΙ ΖΗϹΑΝΤΑ ΚΑΙ ΕΠΤΑ
ΜΟΝΟΥϹ ΕΝΙΑΥΤΟΥϹ ΠΑΥΛΕΙΝΟΝ
ΓΑΙΗ ΔΕΞΑΤΟ ΝΕΡΤΕΡΙΗ
ΚΑΙΜΟΙ ΑΔΕΛΦΕΙΗ ΚΕΙΤΑΙ
ΝΕΗ ΕΓΓΥΕΥ ΓΕΙΗ ΕΠΤΑ ΕΤΗϹ
ΤΗϹ Δ ΗΝ ΟΥΤΙ ΓΛΥΚΕΙ ΟΤΕΡΟΝ

M. IVLIVS
EPICTETVS FILIS SVIS
ET SIBI ET MAGIAE NICE
CONIVGI.

TI. CLAVDIAE PRIMIGENIVS
PISTOR. DECVR.
ANTONIAE CLAVDIAE F. L.
S. ET CONIVGI SVAE.

T. STATILI DONATI
CIRRATI DISPENS.
L. GERMANICI MESSALIN
TAVRI.


D. M
M. SIL. ROMVLIANVS
MIL.COH.VII.PR.Ↄ VICTORIS
SECVTOR. TRIB. VIXIT
ANN. XXVII. MIL. ANN. VII.
VETIONIVS PROCVLVS
ADIVTOR CORNICVL.
CONTVBERNALI BENE
MERENTI.


D. M
L.BOIONIVS GENTILIS VIVVS
FECIT SIBI ET LIBERTIS LIBERTA
BVSQVE POSTERISQVE EORVM
HOC MONVMENTVM SIVE LOCVM SI
QVIS VENDERE VEL DONARE VOLVERIT
INFERET VIRGINIBVS VESTALIBVS HS XX
N AVI AERARIO POPVLI ROMANI. IN
FRONTE PED. VII. IN ARGO. PED. XIIII.

*Apud Marium Delphinum.*

*in domo Mariȷ* *Delfini*









*Apud Marium delfinum*







DIS MANIBVS
IDES.
SARCINATRICIS

SACRVM IOVI O. M.
HERCVLI VOTO
I. VLPIVS AVG. LIB.
D D


IMP. NERVAE CAES
AVG PONT. MAX.
TRIB. POT. COS. III. P. P
L. SERTONIVS L. F.
VOLTEVANTHVS
AEDIL. CC. S. P P.


NINNIA
VIX AN. III.
CRONIS
M. X. DIES XXV.
QVOD DECVIT NATAM PATRI PRAESTARE SEPVLTO
HOC CONTRA NATAE PRAESTITIT IPSE PATER

CVRTIA Ↄ L. PR. ATIS
CVI PARS DIMIDIA HVIVS
MONIMENTO CONCESA EST AB
C. MECENATE HELIO SISI ET
P. CVRTIO SP. F. COL.
MAXIMO FILIO ET
TI IVLIO AVG L GLYCON

ET SVIS POSTERISQVE EORVM

IMP. COMMODO AVG.
N. VII. ET. P. HELVIO
PERTINACI TER COS
COH. X. VRB. TI. CL.
PLAVTIVS ST. I. FIL.
FABIA RECEPTVS
ROM STIP XX Ↄ CASSI
ET L VETTIENVS L. FIL.
RESTITVTVS STIB XV.
Ↄ POLEIOFLISCA ME
RIAE MARTI VOTVM
❧ L ❧ B ❧ S ❧

*Jnventum eſt in Inſula Tyberina.*
*Ad templum lateranum*



# ANTIQVITATVVM ROMANARVM

Siue .IIII Tomus,
Inſcriptionum' & Monumentorum, quæ Romæ in ſaxis & marmoribus viſuntur

*Autore*

I.I. Boiſſardo Veſuntino omnia ſtudioſe conquiſita & excepta,
Artificibꝰ vero
*Theodori de Bry relictis filys recens in ære efficta foras data, Francf.*
*Anno M.D CII.*

# AD ILLVSTREM ET GENEROSVM VIRVM FRANCISCVM BOVRSOLIVM, EQVITEM AVRATVM, VICECOMITEM ET BARONEM DE BEAVREPOS, Dominum de Bourſoles, Berbieres, Roſſignac, Dauignac, & Caſſaide.

*Ianus Iacobus Boiſſardus.*

CVM ſuperioribus annis proximè elapſis tres Tomi Romanarum inſcriptionum cælo, & opera Theodori de Bry publicati eſſent, laudabili applauſu omnium eorum, qui ſtudio antiquitatum delectantur, ſupereſt hęc quarta, & vltima pars, Heros generoſe, quam tuo nomini conſecratam Theodorus & Iſrael de Bry, filii & heredes defuncti, pari ſolertia, & artificio excuſam præbent, eodem affectu, & deſiderio ſtudentes publicæ vtilitati prodeſſe, quo illorum Parens. Volumen hoc ſi eadem fronte, & beneuolentia excipias, qua ſolitus es hactenus officioſam erga te meam voluntatem probare, habebo quod mihi ex animo gratuler, tibique gratias agam, qui tam beneuolè, tam comiter meum ſtudium amplectaris, patiarisq; me eum ſcopum attingere, quem tot vigiliis, & laboribus mihi propoſueram placere, & gratū eſſe Optimatibus, & Nobilibus ſummo loco natis, eximiaq; eruditione præditis, magnæ laudi ducendum eſt. Non enim tantum apud Gallos propter generis nobilitatem, ſtudiumq; militia commendaris, (nam & hæ dotes, & virtutes multis aliis communes ſunt) ſed hinc perfectioni accedit aliud peculiare, & quaſi proprium, nempe non vulgaris rei literariæ cognitio, ac venuſtiſſimæ Poëſeos exercitium, quod rarum eſt inter Gallos nobiles, quibus præcipua delectatio eſt arma tractare, Martiaq; inter prælia verſari Libros, & Muſarum occupationes togatis, vt loquuntur, & ocioſis hominibus relinquunt, qui vel ſacris præfecti, vel ad inſtituendam iuuentutem in bonis liberalibusq; diſciplinis ordinati ſunt. Tu autem, vt præcipuum viri generoſi munus circa bellica exercitia conſtitui debere iudicas, exiſtimas tamen ea neutiquam

impediri, aut torpeſcere bonarum ſcientiarum cognitione, quam & lubenter colis, ſingulariq; beneuolentia in aliis proſequeris. Hinc fit vt tantę animi generoſi dotes tibi fauorem literatorum omnium, gloriamque primam tibi apud peregrinos conciliauerint. Pulchrum eſt, & laudabile à bonis diligi, & eorum præconio cohoneſtari. Bellica ſanè virtus, vt eſt excellens, & admiranda, infeliciq; hoc ſæculo (quo violentia, ambitio, raptus, & auaritia inexplebilis Principum animis imperant) planè vtilis, & neceſſaria: Vis aduerſariorum, irruptionesq; tyrannorum non niſi militari virtute arceri, & repelli poſſent. Ea tamen radios ſui ſplendoris ad poſteritatem producere non poſſet, niſi memoria, & laude viuentium: quæ facile inuidia minuitur, vel malitia labefactatur, cum plerique mortalium non facile ferant laudes alienas, exiſtimantes tantum ſibi detrahi, quantum aliis tribuitur, licet optimè meritis de Republica. Huic malo nulla alia ratione medetur gloria, quàm dum generoſorum virorum magnanimi conatus conſilia prudentia, & egregiè geſta literarum monumentis commiſſa memoriam æternam, & poſterorum laudabilem recordationem adquirunt: quæ tanquam ſubinde renata lectione repetita, & oculis hominum frequenter propoſita, laudes nouas quotidie merentur, adquirunt, & obtinent, maiores plerunque poſt obitum, quàm in vita. Nam id eſſe videmus naturale, & vitium hoc inſitum mentibus mortalium, vt virtutem præſentem oderint, abſentem quærant inuidi. Qui igitur literarum munus & laudabile beneficium contemnunt & reiiciunt, malè ſibi conſultum volunt, neſcii ſine literis rerum omnium excellentium memoriam obliuione tegi, & tenebris obſcuritatis æternæ ſepeliri. Sed, vt ait Tullius:

*Præſtantes viri nunquam tanta conati eſſent, quæ ad poſteritatis memoriam pertinerent, ni animo vidiſſent, poſteritatem ad ſe pertinere poſſe. Sed neſcio quo modo animus erigens ſe poſteritatem ſemper ita proſpicit, quaſi cum exceſſerit è vita, tum denique victurus ſit.* Et alibi: *Quis tantos labores diurnos nocturnosq; domi militiæq; ſuſciperet, ſi iiſdem finibus gloriam ſuam quibus vitam eſſet terminaturus? Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumq; deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ. Qua quidem detracta, quid eſt quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui tantis nos laboribus exerceamus? Inſidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ ſtimulis concitat, & admonet non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate æquandam.* Hæc Cicero.

Cum autem hæc commemoratio non niſi literarum & ſcriptorum beneficio adquiratur, nonne eos admodum inſanire, & iudicio carere dice-

dicemus, qui literas tanquam inutiles contemnunt, & earum cognitionem reiiciunt? ſine quib. cum vita terminatur omnis memoria viriliter geſtorum. Quod ſi ad bene agendũ alacriter accingimur, vt de Patria, parentib. & amicis optimè mereamur, nemo tam ſtupidus erit aut vecors, qui audeat ꝓfiteri ſe id gerere vtilitatis ſuæ, aut lucri alicuius ſordidi cauſa, vt ſolent mercenarii. Finis magnanimitatis aliorumq́; conſiliorum erit, vt laudem aliquam apud noſtros & peregrinos adſequamur, nõ momentaneam, aut mœnibus noſtræ vrbis circumſcriptam, ſed longè lateq; apud viuentes & poſteros continuatam, dicamurq; publicum commodum priuatæ vtilitati, imò noſtræ ſaluti, ſi ita res exigat, præpoſuiſſe: Hinc Curtii, Horatii, Decii, Bruti, Regulus, aliiq; plurimi mortem vltro ſubiuerunt, nihil aliud expectantes; quàm fortiter geſtorũ memoriam ſempiternam. Virtutis honos præmium: & fama virtutis ſtimulus: Vir bonus gloriam virtutis præmium, haud prædam poſcit: Honos alit artes; Fomes virtutis gloria. Ad hoc argumentum infinitę ſententiæ libris antiquorum inſertæ referri poſſunt. Hinc videmus in ciuitatibus probè ordinatis publicè ſtatuas locatas eſſe viris magnis, & de Republica benè meritis. Hinc tot inſcriptiones & elogia aheneis tabulis, aris, cippis, columnis, arcubus, & marmoribus exquiſitis inciſa, templis, foris, theatris, & circis expoſita, quæ laudes & encomia virorum fortium & ſapientum continerent. Hinc Principes magni, ob prudentiam, & publica commoda viriliter & ſapienter procurata, ad Deos relati ſunt, illisq; conſenſu omnium populorum honores publici decreti ſunt, trophæa erecta, ſigna locis celebrioribus poſita, & quicquid ad ſempiterni nominis memoriam facere videretur procuratum eſt. Quæ omnia niſi ad poſterorum notitiam peruenire poſſe viſa eſſent, fruſtra per virtutem tantos labores ſuſtinuiſſent. Propterea hic liber, ſicut & tres priores, inſtitutus eſt, vt ex inſcriptionibus & elogiis, quæ in iis continentur, cognoſcat Lector, amplum claræ virtuti præmium tribui, quando fama ſempiterna conatus egregios comitatur, & perpetua commendatione ſequitur, quod ſolis ſcriptis, & literarum monimentis paratur. Laudem itaq; non mediocrem adſequeris, Heros generoſe, qui bello rerumq; cognitioni idoneus, ad vtrumque paratum te præbeas: horasq́; diei ſelectas exercitus militiæ ſedulo impendas, & alternatim lectioni hiſtoriarũ animum adplices, ex qua prudentiam ſummam & ſapientiam adquiris, animumque laboribus bellicis defatigatum iucundiſſima voluptate Philoſophię recrees, & refocilles, vt paulò poſt alacrior ad priora munia reuertaris. Nam, vt ait Cicero pro Muræna: *Rei militaris virtus præſtat cæteris virtutibus: Omnia noſtra ſtudia, & hæc forenſis laus, & induſtria latent in tutela, & præſidio bellicæ virtutis: & ſimulatq́; increbuit*

*ſuſpicio tumultus, artes illico noſtræ conticeſcunt. Omnia denique quæ ſunt in Imperio, in ſtatu ciuitatis ab iis defendi, & firmari putantur, qui militari virtute antecellunt.* Dux bellicus in propagandis finibus, docti & ſapientes in regendis exercitantur: Non igitur tantum tollit virtutem militarem, vt ab ea bonarum literarum cognitionem excludat. Ideo primo officiorum dicit: *Parua ſunt arma foris, niſi eſt conſilium domi.* Et, *Non minorem vtilitatem adferunt, qui togati publicè præſunt, quàm qui bellum gerunt. Itaque eorum conſilio ſæpe, aut ſuſcepta, aut confecta bella ſunt. Quare expetenda magis eſt decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo. Temere enim in acie verſari, & manu cum hoſte confligere immane quiddam eſt, & belluarum ſimile.* Et 2. de Oratore. In rebus magnis, memoriaque dignis conſilia primum, deinde acta, poſtea euentus ſpectantur. Quare conſultò & ſapienter faciunt, qui ſtudium vtrumq; coniungunt, quod ſemper facere ſolitus es: Et cùm non poſſis aſſiduus eſſe lectioni, amas, foues, & peculiari fauore proſequeris literatos; eorumque ſtudia, quantum potes, adiuuas, & promoues. Et quia ſatis animaduerti te non mediocriter delectatum fuiſſe antiquarum inſcriptionum Romanarum inſpectione, quas olim ex marmoribus tanta diligentia, labore, & ſumptu collegi, præter duos priores tomos illuſtri viro Hermanno Baroni à Goër dicatos, tertium ſuperiore anno publicatum, & hunc quartum tibi ſacratum eſſe volui: quò tibi deuotum meum officium aliquo inſigni teſtimonio probarem; & vt aliqua in parte beneuolentiam tuam promererer, cuius me participem fore tam comiter, tam benignè hactenus promiſiſti. Deus optimus maximus te perpetuò conſeruet, tuosque conatus cum omni felicitate ad exitum fauſtum proſperumque perducat. Vale.

# AD LECTOREM.

## Ioann. Theodorus & Ioann. Iſrael de Bry fratres.

QVAMDIV in hac vita fuit piæ memoriæ Parens noſter Theodorus, hunc ſibi ſcopum ſemper propoſuit, vt de literatis optime mereretur. Quapropter omni diligentia & ſolertia perquiſiuit vndique omnia, quæ poſſent Reipublicæ literariæ vtilia eſſe, ac ſimul iucunda, nullis parcens ſumptibus, nullos ſubterfugiens labores, quo poſſet bonorum ſtudiis, & expectationi ſatisfacere. Cuius rei luculentiſſima reddunt teſtimonia tam præclara opera, quæ ſuis prælis ſubiecit, ac per totam Europam ſumma cum laude publicauit. At inter alia quæ edidit ſpectatu & lectu digniſſima, bonorum omnium iudicio reponi debent inſcriptionum Romanarum libri, quæ Ioan. Iacobi Boiſſardi Veſuntini opera & ſedulitate collectæ ſunt, additis etiam ſignis & marmorum delineatione tam exquiſita, vt abſentes etiam integras formas, & lapidum ſimilitudinem expreſſam videre poſſint. Ingenioſum hoc opus ad Parentum noſtrum tranſmiſſum eſt ab auctore, vt typis aheneis excuderetur. Qua in re, Lector candide, iudicare potes, quantæ in tam magno, & laudabili opere faciendæ fuerint impenſæ, quantæ vigiliæ, & labores ſubeundi. Sed DEI gratia totum hoc negotium ad optatum finem perductum eſt. Duo namque tomi primi, à noſtro parente perfecti, duobus libris veteris nouæq; Romanæ Topographiæ ab eodem Boiſſardo conſcriptis adiuncti ſunt. Poſt Parentis noſtri obitum, nos vt nominis facultatumque, ſic & ſtudiorum communium heredes, tertium Volumen anno ſuperiore cælauimus, & luci publicæ dedimus. Reſtabat hoc quartum & vltimum, quod expreſſum publicamus, ſperantes eodem applauſu & beneuolentia exceptum iri, quà priora probata ſunt. Vtque hæc pars vltima illuſtrior, & commendatior in theatrũ veniret, quia ex maiori parte tractat ſepulchrorum inſcriptiones, & Epitaphia, exiſtimauimus non inutile fore, ſi ad finem huius Voluminis ſubiiceremus tractatum eruditiſſimum de ſepulchris, olim conſcriptum à doctiſſimo viro Lilio Gregorio Gyraldo Ferrarienſe, qui plurimum facere videtur ad dilucidationem eorum, quæ hoc libro continentur. Videbis igitur, Lector candide, probabiſque inſtitutum noſtrum, quod circa hoc maximè incumbit, vt tibi ſatisfacere poſſimus, & doctis omnibus placere. Vale feliciſſime.

LILIVS

# LILIVS GREGORIVS GYRALDVS IOANNI FRANCISCO PICO MIRANDVLÆ PRINCIPI,

## S. P. D.

*EX quo tu, Pice optime, ex vrbana tempeſtate naufragum & omni ex parte quaſſatum, rerumq; omnium inopem, in hoc florentißimo tuo oppido Mirandula, quaſi in portum collegiſti, vbi, vt alter Alcinous iactatum Vlyſſem, me vltra merita fouiſti, ſæpiusq; inter loquendum à me petiiſti an quicquam inter naufragii tabulas reliqui ſuperfuiſſet: quod ſi non publice & paßim omnibus exponi, priuatim ſaltem & ſeorſum, ab amicis præſertim intimis conſpici poſſet: & inter alia me rogaſti de ſepulchrorum, & ſepeliendi ratione, quod tu ſcilicet iam ſupergreſſus ſeptenarii & nouenarii anni ancipitem climactera ſepulchrum tibi mediteris. Quare cum inuolucrum neſcio quo fato mecum enataſſet, illud his diebus, quibus tu apud Clementem VII. Pontificem maximum, & Carolum V. Auguſtum Cæſarem Bononiæ abfuiſti, tanquam mango interpoliui. Non quidem vt illud venale haberem, ſed ea tantum ratione, vt aliquam tibi, ſi non gratiam referrem, (qui enim id poſſum) at ſaltem illius ſignificationem præ me ferrem. Vale. Ex arce tua Mirandulana, Menſ. April. M. D. XXXIII. cuius anni menſe Octobri infelix Princeps & vita & oppido à fratris filio per nocturnas inſidias priuatus eſt, & ego miſer omni fortuna exutus vix vnus euaſi.*

*LILII GREGORII GYRALDI*
*FERRARIENSIS,*

# DE SEPVLCHRIS ET VARIO SEPELIENDI RITV LIBER SINGVLARIS, AD CAROLVM Miltzienn Germanum.

## *EXORDIVM.*

SVNT plerique, CAROLE, qui nullis ſumptibus, nullis quantumuis immodicis expenſis parcunt, vt vel ædes ſibi magnificas, vel illuſtria monumenta conſtruant, non illa quidem perpetuo duratura, vt quæ omni tum fortunæ, tum temporis iniurię ſint expoſita, qui tamen haud immerito nonnullam alicuius temporis gloriam conſequuntur, ex iis enim eorum quædam animi magnitudo conſpicitur. Tu vero cum didiceris, nulla eſſe monumenta perenniora iis, quæ animo & ingenio pariuntur, omni ope & ſtudio niteris, vt tibi tale compares monumentum, quod duret æternum. Nam cum ſis nobiliſſimâ familiâ editus, in qua complures tum literarum omnis generis, tum armorum ſtudiis excellentes floruere, non ſolum in iſta veſtra tota, vt eſt latiſſima, GERMANIA cogniti, ſed ob eorum domi foriſque egregia facinora, per omnem fere Europam celebrati: quibus ne tu degener eſſe viderere, in ITALIAM commigraſti, luculenta tibi optimarum artium, virtutumq; omnium monumenta paraturus, atq; in primis ſanctiſſimis tum Pontificiis, tum ciuilibus legib. ſtrenue operam impendis, quarum auſpicio vides iuſtiſſime cuncta regi, cædes tolli, ius & æquum coli, mores cuſtodiri, ciuitates denique & reſp. florere. Sed interea & humaniorum ſtudiorum non aſpernaris elegantiam, nec minus etiam amplecti videris eius facultatis profeſſores, quos & tua liberalitate munificentiaque demereris, amantiſſimoſque tui efficis, vt qui illius ſententiam optime teneas, nullum præclarius nec perennius eſſe monumentum aſſerentis, quam bonarum literarum. Nam per DEVM immortalem quid

SIMANDIO, quid MERIDI, quid ARTEMISIÆ, quid aliis demum pene innumerabilibus ingentes moles verius, quam ſepulchra ſtruxiſſe profuiſſet, quarum nunc vix nomina reſtant, niſi literariis monumentis potius, quam cæmentitiis & marmoreis ſtructa fuiſſent? nec dum earum in præſentia alia manet imago, niſi quam fideliſſimo literarum ſtylo ſcriptorum bonorum manus formauere. Errat, CAROLE, errat profecto, quicunq; vel BRYAXIN, vel PHIDIAM, vel POLYCLETVM vel LISIPPVM aliumue quemuis ex eiuſmodi celebratis artificibus aliquid ex marmore, alioue quouis metallo ſeu materia effinxiſſe putat quod elegantius perfectiuſue fuerit, quam quæ vel ab HERODOTO vel à DIODORO, vel PLINIO, aliiſue ſcriptoribus expreſſa ſunt. Quare, recte, vt opinor, ille qui interrogatus, quo vellet artifice potius, quoue metallo effingi, malle ſe, ait, excellentis ſcriptoris laudibus deſcribi quam vllo, quantumuis pretioſo metallo ab optimo quoquo artifice effingi: illius enim ſcripta quam mundus ipſe, tam diu duratura. Sed quorſum, fortaſſe rogas, hæc tam alte repetita? non aliam certe ob cauſam, niſi vt, quod vulgo dicitur, te ſponte currentem impellerem, & ad bonas artes capeſſendas animarem, ſimulq; vt aliqua ex parte tuis in me meritis hoc libello, ſub nomine tuo edito, gratiam referrem. Nam ſi quo minus alia re poſſum, hoc ſaltem efficiam, vt ne erga te penitus ingratus fuiſſe videar, tuæque vel beneuolentiæ, vel liberalitati minus reſpondere.

## PROPOSITIO.

Nunc de LIBELLO pauca quædam præfabor, quem de vaſis ſepulchralib. varioq; Gentium ſepeliendi ritu inſcripſimus. Nam cum de vaſis ingens opus multis digeſtum voluminibus in manu habeam, in quo vaſa ipſa, quantum in me eſt, ſuis reddo officiis, in hoc de ſepulchralibus egi. Vas enim, vt primo eius operis volumine definiui, eſt quicquid quippiam intra ſe continet, vel quod ad eum vſum comparatum eſt. Vnde ſicut Sacris, Medicinæ, Coquinæ, aliiſq; rebus propria & peculiaria vel cõmunia vaſa adſcripta oſtendimus, ita huic iure de ſepulchralib. vaſis nomen indidimus. Verum quoniam ſepulturæ variæ ſunt ſpecies, varii quoque ſepeliendi mores, quapropter in hoc ſcripturo mihi de ſepulchris, viſum eſt paulo altius rem repetere, deque vario ſepeliendi ritu, multipliciq; inſtituto tibi, & ſi per te alii forte legerint, non vt puto ingrata nec inutilia colligere, quæ vt aliud nihil faciant, nos certe mortis memores efficient, mortales eſſe docebunt, nihilq; in hac mortalitate diu duraturum. Ea vero nunc demum ratione hoc quicquid eſt libell

belli exſcriptum ad te miſimus, vt ſi editione, an potius ſepultura dignus tibi viſus fuerit, meritam ſortiatur conditionem.

## *PLVTO.*

Plvtonem, quem tum Ditem, tum Svmanvm Latini, Sabini Soranvm vocauere, ſepulcrorum, funerum & exequiarum inuentorem antiqui crediderunt, cum harum rerum nulla, vt ferunt, apud gentes antea in vſu fuiſſet, atq; hac ipſa cauſa vulgo creditum fuit, vt inferis Devs & vita functis imperaret.

## *LIBITINA.*

Libitinam quoq; Romanos Deam ſepulcrorum præſidem coluiſſe accepimus, in cuius templo, quæ ad ſepulturas neceſſaria eſſent, venderentur, eandemque cum Proserpina, ſeu potius Venere Deam eſſe arbitrati ſunt. Cuius non abſimilis fuit, quam Epitymbiam Venerem Delphici vocauere. Sed & Vbidinam eandem fere cum Libitina Gręci quidã fecere. A Libitina certe Libitinarii apud Latinos dicti, qui à Græcis νεκροθάπται & νεκρόθοροι dicuntur, vt eſt apud Vlpianum de Inſtitoria. Dicuntur & Veſpillones.

## *Templorum origo.*

Fuit vero vſque adeo antiquis ſepulchrorum cura, vt non aliunde Templorum & ſacrarum ædium originem deductam, diligentiſſimi ſcriptores tradant, Euſebius & Lactantius. Qua de re & Clemens Alexandreus, in adhortatione quapiam ad Græcos, ſi ita recte προτρεπτικὸν interpretamur, ſic ſcriptum reliquit; Superſtitio, inquit, templa condere perſuaſit: quæ enim prius hominum ſepulchra fuerunt magnificentius condita, templorum appellatione vocata ſunt. Nam apud Lariſſeam ciuitatem, in arce in templo Palladis, Acrisii ſepulcrum fuit, quod nũc ſacrarij loco celebratur. In arce quoque Athenienſi, vt eſt ab Antiocho in nono Hiſtoriarum ſcriptum, Cecropis ſepulchrum fuit. In templo vero Palladis, quam Poliada Græci appellant, iacet Erichthonivs. Ismarvs autem Eumolpi atque Dariæ filius in Eleuſine, vna cum Celei natabus ſepultus, & reliqua quæ multa Clemens colligit, & ab eo Euſebius, quæ in Latinis codicibus non habentur.

*Simulacrorum origo.*

Sed vt templa, ita & ſimulacra atque idola à ſepulturis originem traxiſſe, ſunt qui videri velint, quos inter DIOPHANTES LACEDÆMONIVS, qui ANTIQVITATVM LIBROS XIV. ſcripſit. Is SYROPHANEM ait ÆGYPTIVM, hominem locupletiſſimum filio ſuperſtitem eius deſiderio ſimulacrum domi conſtituiſſe, ad quod familiares confugerent, cum domini iracundiam furoremue euitare vellent, quomodo familiares à Domino veniam conſecuti, ſimulacrum ipſum floribus & coronis ornare ſoliti erant, & odoramenta, aliaq; eiuſmodi adolere, quę ſunt poſtea ad ſepulchra translata.

*Cauſæ ſepulturæ.*

Si quis tamen in vniuerſum ſepeliendi cauſam indagare voluerit, multum erit ei maxime elaborandum, (alia enim aliis gentibus cauſa extitiſſe videri poteſt) vt ex iis, quæ infra narrabimus, facile perſpici poterit. Si tamen accuratius res ipſa perpendatur, duplicem in primis eam eſſe videbimus, vt ſcilicet poſteri ſibi quoque moriendum eſſe admoneantur, & ſimul omnibus illuc tentendibus recte ac ſancte viuendum eſſe. Quibus rebus ad bene beateque viuendum naturæ quodammodo iure impellimur. Vnde & eadem, vt opinor, ratione, DIVVS PLATO ſuæ Philoſophiæ ſcopum finemque in mortis conſideratione eſſe ſtatuit. ANNEVS tamen SENECA non defunctorum, ſed viuorum cauſa ſepulturam inuentam eſſe voluit, vt ſcilicet hominum cadauera viſu & odore foedo à viuentium medio amouerentur: id quod ego factum crediderim, poſteaquam iam coetus hominum Vrbes ac Ciuitates conſtituere coepiſſet. Sed vtcunq; his altius forte repetitis omiſſis iam ſepulcrorum varias formas, variaſq; figuras & lineamenta breuibus circumſcribam, quæ tum à me conſpectis monumentis & ſepulcris, tum ex probatiſſimis autoribus collegi.

*Forma & inſcriptio conſtituunt ſepulchrum.*

Nam cum in primis ſepulcrum omne duabus rebus conſtet, forma & inſcriptione, antiqui maxime ſtuduerunt, vt ad commenſum & ſymmetriam vtrunq; conſtituerent, vt videlicet monumentum inſcriptioni, inſcriptio monumento, quadam congruente ratione reſponderet. Sed de horum altero nos architectorum præcepta inſtituent, de altero Antiquitatum exempla nos inſtruent, & quæ tot extant Eulogia & collecta & edita vulgo.

*Epita-*

## *Epitaphiorum Lex.*

Tituli enim qui Epitaphia dicuntur, Autore Platone, quatuor Verſiculorum numerum excedere non debent, vt tranſiens Viator facile perlegat; Verum hoc ab eo dictum quidem præclare, ſed ſuæ ſecundum inſtituta ciuitatis. Nam aliter factitatum non ſolum à Græcis ſui, ſed & à Latinis noſtris barbariſque videmus. Inoleuit etiam pleriſque antiquorum vſus, vt ſoluta frequentius oratione, quam verſu Epitaphia ſepulturis inſcriptiones adhiberent, & quod Elego plerunque carmine fierent, ἐλεγεῖα à Græcis ſæpe vocata reperies. Epitaphia vero ipſi legimus Græcis literis, Latinis, Hetruſcis, Ægyptiis, Hebræis & Barbaris cæteris.

## *Forma ſepulcrorum.*

Sepulcri igitur formam alii, & quidem quorum corpora non cremebantur, non maiorem apud antiquos, quam vt corpus caperet, faciebant, quod & à pleriſque hoc quoque tempore fieri videmus. Antiqui vero id in vaſis interdum ſtantis forma, interdum columellæ, nonnunquam arculæ vel plutei ſpecie conficiebant: nonnulli in tabellæ ſcriptoriæ planitiem effingebant, alii amplius quiddam & maius adornabant, vbi & titulos, & rerum geſtarum monumenta inſculpebant: quidam in ſcrinii marmorei; nonnulli in lectuli ſpeciem ſepulcra ſtruxere; quidam & gradus his addidere, alii ſacella proxime erexere. Fuerunt & qui columnas ingentes, aut pyramides, vel obeliſcos, proceroſue coloſſos erigerent. Verum in columnarum genere illę pręcipue celebratæ, quæ ad pedes plus minus centum ductæ ſunt, quæ circum vndiq; ſignis aſperæ & rerum Hiſtoriis circumueſtitæ, intra autem gradus habent ad cochleam, quib. ad ſummum earum vſq; aſcēdi poteſt, quales adhuc Romę cernuntur. Fuerunt & qui criptas ſubterraneas, quas Græci Hypogæa, Latini conditoria nuncupant, ſepulcris diſponerent, cuiuſmodi me vidiſſe tum aliubi, tum Romę, tum Baiis ſuccurrit. Sunt & eiuſmodi quædam Chriſtianorum Hypogæa prope Templa, vt Veronæ, & adhuc toto fere in Latio conſpiciuntur buſtuaria familiarum & domeſticorum, tellure ſuffoſſa, diſtinctis paruo per parietes interuallo buſtulis, quibus crematorum reliquiæ condebantur. Stantq; breues titulis, Piſtoribus, Coquis, Tonſoribus, Aliptis, & cæteris eiuſmodi ex familia. Sed & effigies tum gypſo ac polline marmoreo ac calce fictas, tum marmore ſculptas, tum diuerſo metalli genere formatas, in ſolatium & memoriam antiqui exprimere conſueuerunt, quarum mentio frequens apud celebratos autores, Marcum Tul-

lium, Plinium, Lactantium, Statium, Martialem, item Hiſtoricos, quam conſuetudinem & noſtra demum hac tempeſtate ab aliquibus nouari iam plane vidimus.

## *Materia Sepulchrorum.*

Nunc ex qua materia ſepulchra confici ſolebant, res ipſa, & locus, vt oſtendam, expoſcere videtur. Nam veluti varia fuit & diuerſa ſepeliendi ratio apud nationes, & vario ſubinde tempore, ita varia quoque fuit & diuerſa, ex qua monumenta conficerentur, materia. De ſepulchris igitur nos ita ſtatuimus, vt alia animata dicamus, alia inanimata. Animata rurſus in ea quæ ratione pollent, & quæ rationis expertia ſunt, partimur.

## *Sepulchra animata rationalia.*

Nam aliis homines ipſi ſepulchra fuere, vt eorum, penes quos mos fuit, vt mortuos vorare, & humana carne veſci, vnde & illis vocabula Anthrophagi, & Anthropophaphi: vel eorum qui potu defunctorum cineres hauriunt.

## *Sepulchra animata irrationalia.*

Aliis ſepulchra fuere animantia bruta & rationis expertia, vt qui ſuorum cadauera canibus vel vulturibus, cæteriſq; feris exponerent.

## *Sepulchra animata.*

Aliis item Elementa ipſa ſunt ſepulchra, vt eorum qui terra conduntur, qui aqua ſubmerguntur, qui igne cremantur, qui per aera ſuſpenſi arboribus vel patibulis ſuffiguntur. Ac de his quidem omnibus eſt à nobis copioſius agendum, cum de ſingulis Nationibus inſtituta trademus. Ex omni præterea metallo ſepulchra & loculos factos partim legimus, partim ipſi vidimus, ex auro videlicet, argento, ære, orichalco ferro, plumbo, ſtanno, electro, magnete, plurimum vero ex marmore eoq; diuerſi generis. Item ex coctilibus fictilibusq; vaſis, tegulis, plinthis ex argilla, cretaue, ſed & ex ligno, ligneiſq; arculis, vitreis etiamnum vaſculis & criſtallinis, aliiſq; eius operis.

## *De Iure Sepulchrorum.*

His ita de ſepulchrorum forma & materia à nobis breuiter expoſitis illud iure ſubdemus, ſepulchrorum iura ſemper ſacra habita non modo Græcis ipſis, & Romanis, ſed & Iudæis & Barbaris quoq; Nationibus

Nam

Nam vt alias nunc mittam, vide quanto ſtudio & diligentia apud Moſen Abrahamus ille vir ſanctiſſimus vxori ſibiq; ac poſteris ſuis ſepulchrum pararit. Scythæ quoque qui immaniores cæteris habentur, cum Darius Hyſtaſpis eos bello laceſſeret, eiſque à Perſis obiiceretur, quod prælium detrectarent, inter alia quæ reſponderunt: ſunt, dixere, paterna noſtra ſepulchra, quæ cum inueneritis, agite, tentate illa labefactare, tum certe intelligetis, ſimus vobiſcum nos pro paternis ſepulchris pugnaturi, nec ne? interea niſi nos ratio traxerit, prælium non conſeremus. Ex quibus facile cognoſcere poſſumus, quo cultu ac reuerentia apud barbaros Scythas eſſent ſepulchra, ſi nulla alia ratione ad prælium trahi poterãt. Sed quod paterni ſepulchri ſumma eſſet religio, præter id quod de Scythis diximus Thamyridis quoque fabula aſtruit, quæ & in prouerbium vſque ceſſit in eos, qui furore & inſania corripiuntur, qui in patrios cineres mixerunt: cuius & noſter Horatius in Poetica meminit. Scribit Marcus Cicero, quod ſepulchrorum ſanctitas in ipſo ſolo eſt, quod nulla vi moueri, neque deleri poteſt, atque vt cætera extinguuntur, ſic ſepulcra ſanctiora fiunt vetuſtate. Terra, inquit PLINIVS, nos à reliqua natura abdicatos, tum maxime vt mater operit, nullo magis ſacramento, quam quo nos quoque ſacros facit. Scribit & PLVTARCHVS IN NVMA, ſacros vocari vita functos, quorum videlicet ſacra ſint ſepulchra. Noſtra quoq; Chriſtianorũ lege ſua ſepulchris ineſt religio, & idcirco etiam violatoribus ſua propoſita ſunt ſupplicia. Vetus eiuſmodi extat Romanorum lex: Vbi corpus hominis demortui condas ſacer eſto: noſtri vero id Pontificis autoritati ſubeſſe voluerunt. Illud quoque Romanorum legibus cauebatur, ne quis veſtibulum aditumue ad ſepulchrum vſu caperet, neue buſtum violaret. Perſtat & Græca ſententiola, quæ & in prouerbium ceſſit: ne moue nõ mouenda, hoc eſt, ἀκίνητα μὴ κίνει. Extant & hac de re tum Imperatorum ac Pontificum noſtrorum leges, tum diuinitus à Marco Tullio tradita inſtituta. Quin etiam & τυμβωρύχοι (ſic enim ſepulchrorũ effoſſores ac violatores Iuriſperiti Græca voce nuncupant) ſeueris pœnis plectuntur. Scribit Vlpianus, ſepulchri violati actionem infamiam irrogare. At vero Paulus reos ſepulchrorum violatorum, ſi corpora ipſa extraxerint, vel oſſa eruerint, humilioris quidem fortunæ ſummo affici ſupplicio, honeſtiores in Inſulam deportari aut relegari, aut in metallum damnari vult. Hanc tamẽ ſepulchrorum religionem contra hoſtes haud valere, CAIVS IC. arbitratus eſt, cum ita prodat: Sepulchra inquit hoſtium religioſa nobis nõ ſunt, ideoque lapides inde ſublatos in quemlibet vſum cõuertere poſſumus, nec ſepulchri violati competit actio. Porro & ſepulchra venditare apud antiquos probro & ignominiæ fuit, adeo vt nomen apud Hebræos immutatum eis qui feciſſent, vt EPHRONI contigit, qui ea cauſa Ephran appellatus

eſt, ſi-

eſt, ſignante (inquit HIERONYMVS) ſcriptura, non eum fuiſſe conſummatæ, perfectæq; virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum. Subdit idem: ſciant igitur qui ſepulchra venditant, & non coguntur, vt accipiant precium, ſed à nolentibus quoque extorquent, immutari nomen ſuum, & perire quiddam de merito eorum, cum etiam ille reprehendatur occulte, qui inuitus acceperit. Hæc ille. Nec hoc loco omittendum, quod etiamſi fundus, in quo ſepulchra ſunt, venditione alienetur, ad ea venditori ius adeundi ſupereſſe, quod his ferme verbis POMPONIVS aſſerit: Dominis inquit fundorum, in quibus ſepulchra fecerint, etiam poſt venditos fundos adeundorum ſepulchrorum ius eſſe. Sed cum ſepulchrorum iura ſacra ſemper habita oſtenderimus, nunc illud pariter non ignorandum, antiquiſſimi fuiſſe inſtituti, vt intra vrbem & domi quoque defunctorum cadauera conderentur.

## *Sepulchra domeſtica, Lares & Penates.*

Vnde remanſit LARIVM & PENATIVM religio, qui ea de cauſa domi à gentibus colerentur. Verum ea mox conſuetudo, vt fœda ac tetra, antiquata, & in totum ſublata, adeo vt etiam XII. TABVLARVM, Legibus vetitum ſit, id quod & Senatuſconſulto Duillio Conſule approbatum eſt, ex qua re in vſu loquendi verba illa venere, educere & efferre. VESTALES tamen & IMPERATORES ROMANI huic legi & SC. ſubiici noluerunt. PLVTARCHVS VALERIIS & FABRITIIS conceſſum ait, vt in foro ſepelirentur, eorum tamen poſteri, tametſi id ſibi liceret, ſuppoſita tantum face in foro, cadauer efferebant. Eius præterea qui triumphaſſet, vbi extra crematus eſſet, oſſa & cineres in vrbem deferri & componi decretis permiſſum fuiſſe PYRRHON LYPARÆVS tradit. M. CICERO eadem pene quæ PLVTARCHVS ſcribit in lib. de legibus. APPIANVS vero SOPHISTES & nobilis HISTORICVS, inter cauſas quas enumerat, cur patritii agrarias leges contemnerent, & hanc affert, quod indignarentur, impiumque ducerent, ſuorum parentum monumenta in aliena iura tranſire, atque id pietatis & religionis cauſa. PLATO etiam in illis ſuis legibus agros, & in primis ſteriles ſepulturis deſtinauit. Sed quod extra vrbem antiqui mortuos ſepelierint, præter ea quæ attulimus, & quod adhuc monumenta pene innumerabilia huiuſmodi conſpicimus, inſcriptiones quoque ſepulchrorum & Epitaphia id manifeſte comprobant. Ita fere omnia, quæ hactenus conſpexi latina, has vel his ſimiles notas habent, IN AGR. P. quæ quot agri pedes ſepulchrum occuparet ſignificabant. Et apud Vlpianum Iureconſultum id obſeruatum, D. Adrianum pœnam aureorum XL. ſtatuiſſe in eos, qui in ciuitate ſepulchrum feciſſent, quos fiſco inferri voluit; eandem quoque pœnam in magiſtratus ſtatuit, qui id paſſi forent, quin & locum

locum publicari mandauit, indeque cadauer transferri. Sepeliebant autem Romani ſecus maxime militares & publicas vias, inter quas in primis flaminia & Latina celebrantur, vt apud Athenienſes Ceramicum, apud Corinthios Sinopœi Diogenis ſepulchrum, apud Siracuſas Archemedis.

### *Sepulchra in Agris.*

Et hæc in agris quidem, vt mittam plurima, quæ apud autores & leguntur, & adhuc ſecus ipſas vias cernuntur. Quibus vero de cauſis extra ciuitates cadauera ſepelirentur, inter alias potiſſimum has afferri video, vt ſcilicet libera vrbs tetro cadauerum odore, minus peſtilenti aere afficeretur, & vt illac tranſeuntes viatores ad laudes accenderentur, moucrenturq́; ad præclara facinora obeunda, neue, ſi ita accideret, paterentur hoſtes in ſuorum maiorum monumenta graſſari, & perinde alacriori etiam animo à mœnibus vrbis propellerent. Addit his Cicero, ne rogi fortaſſis aliquando igne vrbs conflagraret aut incenderetur.

### *Sepulchra Chriſtianorum, contra Inſtituta Maiorum.*

Nunc Chriſtiani noſtri (proh maiorum noſtrorum ſancta inſtituta deperdita) non intra vrbem modo defunctorum corpora condunt, verum &, ſi DEO placet, in Templis, ipſiſq́; delubris, & ſacellis, in quibus Diuorum cineres & reliquiæ tantum ſeruari & venerari maiorum noſtrorum religio fuit, nefariorum & ſceleſtiſſimorum hominum, vtinam vt non & impiorum fœdiſſima cadauera condunt, quod fieri præter maiorum leges & inſtituta, cum Pico ſæpius & Manardo, & nunc tecum, CAROLE, vehementiſſime doleo. Ad huius enim rei miniſterium, quæ Græco vocabulo à dormitione & quiete dicuntur κοιμητήρια à maioribus noſtris conſtituta fuerunt. Quomodo etiam Lacedæmonii, qui ex Lycurgi lege ſuos in vrbe ſecus Deorum templa mortuos ſepelire conſueuerunt: Saitæ tamen Ægyptii ſuos tantum Reges, quos vt Deos venerabantur, intra templorum ſepta condere ſoliti fuerunt, id quod & ab aliis factitatum autores prodiderunt, & nos nonnihil infra.

### *Lais Scortum.*

Legi & apud Athenæum, nobile illud ſcortum Laidem in Veneris templo apud Peneum fluuium ſepultum fuiſſe. Sed hac de re ſatis.

### *Sepulchrorum cura indies aucta.*

Non alienum à propoſito opere me facturum reor, ſi tibi hoc loco

repetam, qua ſit ratione factum, vt ex tam paruis initiis tam magna ſumpſerit incrementa ſepeliendi mortalium cura. Nam vt primum domi, vt retro diximus, ſine vlla pompa defunctorum corpora conderentur, idque poſtea per leges eſſet abrogatum, ne tetro ſcilicet cadauerum nidore viuentes infeſtarentur, ad tantam demum magnificentiæ pompam, ne luxum dicam, deuentum eſt. Sed enim cum id maxime curandum eſſet, quod & Plato ſcribit, hominem ita habendum, vt neq; mortuus neque viuus hominum cœtui & ſocietati eſſet incommodo, cœperunt ergo in agris primum loca in quibus fierent ſepulturæ excogitare, inibique ad ſepulturæ indicium lapidem ſeu tegulam, nonnunquam & ceſpitem, tumulumq; erigere, aliquando cippum & teſtas glebasq; aggerere, interdum arborem ſerere, quod & Diuo Platoni in legibus placuit, & nunc aliquando Turcis, ne videlicet feræ, animaliaue bruta, ſepultorum oſſa effoderent. At vero redeuntes poſteri ad agros, vere iam florente, chariſſimorum iacentium cum reminiſcerentur pro tempore floribus & ſertis, cæteriſque eiuſmodi reliquiis, ſuorum memoriam celebrabant, ex qua re annua & tot mortuorum ſacra adinuenta, de quibus ita cecinit ingenioſiſſimus Poeta Naſo:

*Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis.*
*Et ſparſæ fruges paruaque mica ſalis.*
*Inque mero mollita Ceres, violæq; ſolutæ,*
*Hæc habeat media teſta reperta via.*
*Nec maiora veto, ſed & his placabilis vmbra eſt.*
*Adde preces poſitis & pia verba focis.*

## DE III. VII. IX. XXX. XL. DIEBVS.

Sed cum nonnulli eſſent, qui ſuorum vel propinquorum, vel amicorum minus deſiderium ferre poſſent, tertium, ſeptimum, nonum, & quidam triceſimum & quadrageſimum, non ſine quadam numerorum religione, dies defunctorum manibus & memoriæ ſtatuerunt, quorum dierum non modo apud gentes mentio & ſumma obſeruationis cura, ſed & in præſens à noſtris ii magna diligentia cuſtodiuntur. Hinc ab antiquis Græcis ſacra illa Necyſia, Ennata, Enagiſmata, Cteriſmata, Tarchymata. Hinc Triacas & Triacontades dies legimus inſtitutas. Hinc à Latinis iuſta, exequiæ, inferiæ, parentationes, nouendialia, denicalia, februa, feralia, & cætera huiuſmodi, quæ omnia tum lacte & vino, tum ſertis & floribus, tum reliquis aliis rebus, quæ, vt ait Ouidius, ab antiquis celebrabantur.

*Epulæ*

*Epulæ funebres.*

Afferebantur & interdum epulæ dapesque ad ſepulturam, vbi quoque antiqui epulabantur. Vnde ſunt apud Autores ferales cœnæ, SILICERNIA, & funerum fercula, quem morem vix dum Chriſtiana lex compeſcuit. Extant certe Diui Ambroſii & aliorum poſt eum, contra hanc conſuetudinem Orationes & decreta, in cuius quidem vicem (adeo difficillime potuit aboleri) in quibuſdam adhuc regionibus in parentationibus perſeuerat, vt domi amici & cognati conuocentur, peractiſque ad ſepulchrum iuſtis & funeralibus, domi conuiuia, & quidem lautiſſima agitant, in quibus & demortui laudes & viuentium ſolatia à Sacerdote, vel pro eo ab alio poſt epulas funebri oratione referuntur.

*Ludi funebres.*

Sed præter antiquorum conuiuia etiam ludi funebres in funeribus, & quidem magnificentiſſimos excogitarunt, quos celebri apparatu non modo actitaſſe Romanos legimus, ſed iis longe prius Græcos, vt vel Homero in Patrocli funere teſte, cæteriſque Poetis didicimus. Proceſſit vero & in tantum exercuit apud gentes immodica ſepulchrorum cura, vt aliquæ nationes etiam mortuorum monumenta in penſius ſtudioſiuſque curarent, quam viuorum domicilia, eos imprimis falli exiſtimantes, qui breuioris & momentaneæ vitæ ædificia magnifica conſtruerent, ſepulchra vero in quibus æternum vel certe diutiſſime quieſcendum ſit, negligerent. Atque inter hos maxime fuere Ægyptii, quorum moles immanes (ſic enim verius quam ſepulchra dixerim) à ſcriptoribus celebrantur.

*Leges de Sumptu Funerum.*

Rectius autem ac ſapientius illi mihi feciſſe videntur, qui in ſepulchrorum ſumptibus & eorum luxu, ne immodica erogaretur pecunia, modum per leges poſuerunt. Pittacus quidam, vnus, vt pleriſque viſum eſt, è ſeptem Græciæ ſapientibus, apud ſuos lege cauit, ne in conſtruendo tumulo, quam tres columellas plus expenderent. Cum antiquiores etiam quidam gleba tantum contenti & ceſpite corpora obtegerent: ibi enim fortunarum diſpendium fieri non debet, quo incommutabili naturæ lege omnes peruenire compellimur, & propterea à quibuſdam legibus interdictum accepimus, ne maiore opere ac impenſa monumentum conderent, quam quod triduo decem homines conficere poſſent. Plato quidem decentiſſima monumenta parentibus: temperatiſſima tamen fieri præcepit. Idem alio loco Philoſophus de ſepulchrorum inſtitutione plura præcepit, & Platonem ſecutus M. Tullius, quæ

tibi breuitatis cauſa prætereo. Sed quoniam omnibus per te ſcribendo prodeſſe cupimus, hac cauſa nec illa omittam, quæ ad vocabulorum & vocum proprietates hac in re pertinere videbuntur, vt qui in variis autoribus legendis occupantur, plane intelligant quid quiſque ſenſerit.

## *Cadauer quid?*

Cadauer igitur proprie defuncti corpus à cadendo dicitur, quod Græci νεκρὸν vocauere, tametſi latine quidam mortuale, interdum morticinium verterunt, vt Hieronymus & ſacræ ſcripturę Interpretes. Transfertur tamen & ad inania quæ ſunt, vt Vrbium, Ædium & ſtatuarum cadauera appellentur, id quod & Græci quoque, vt cum de Corinthiis fractis ſignis Νεκροκορινθίους dixerunt.

## *Sepulti, Humati.*

Sepultos quoquo modo conditos: Humatos vero humo iniecta contectos dici accipimus, quem morem ius pontificale confirmabat. Nam priusquam gleba iniiceretur, locus vbi corpus crematum eſſet nihil religionis habebat: iniecta vero vbi tumulo gleba fuiſſet, & humatum & gleba vocabatur: at tum demum multa religioſa iura complectebatur. Hanc rem & Virgilium in VI. attigiſſe ſunt qui affirmant, cum ait de Palinuro: Aut tu mihi terram iniice. Item Horatium in eo: Quanquam feſtinas non eſt mora longa, licebit Iniecto ter puluere curras. Sed & ſepultos dicimus, & tumulatos, & conditos, & funeratos legimus.

## *Siticines.*

Item ſitos, vnde ſiticines vocabulum deflexum exiſtimatur, de quo hæc fere Gellius & Marcellus ex Collectaneis Atrei Capitonis: Siticines, inquiunt, appellatos legimus, qui apud ſitos, hoc eſt, vita functos canere ſolebant. Amplius addit Gellius, Siticines proprium habuiſſe tubæ genus, quo canerent, à cęterorum tibicinum proprietate differens, quos Siciniſtas (ait) vulgus dicit. Qui rectius locuti ſunt ſicinniſtas, litera n gemina dixerunt.

## *Sicinnum.*

Sicinnum enim genus veteris ſaltationis fuit, quæ & Sicinnis dicitur, de qua in Dialogis noſtris de Poetis commodius ex Polluce, Athanæo, Suida, Ammonio, aliiſque meminimus.

## *Funus.*

Nec illud ignores velim, funus proprie dici cadauer iam ardens vel incenſum.

*Exequiæ*

*Exequiæ.*

Exequiæ dum portatur.

*Reliquiæ.*

Reliquiæ iam crematum & buſtum.

*Conditum.*

Conditum vero iam ſepultum.

*De vaſis Sepulchrorum.*

Sed iam vaſa ipſa, hoc eſt, ſepulchrorum nomina, quibus frequenter autores vſi ſunt, & cuius cauſa libellum concinnauimus, adſcribemus.

*Sepulchrum cum Synonymis.*

Sepulchrum igitur à ſepeliendo dictum, vt inuolucrum ab inuoluendo, verum vſu aſpirationem ſumpſit; vnde & SEPVLCHRETVM Catullus formauit pro loco, vbi multa ſepulchra ſunt, ſicuti à Græcis Polyandrion dicitur, quod nos Chriſtiani Cœmiterion vocamus. De Polyandrio D. Hieronymus apud nos, & alii quidam eius ordinis Scriptores. Dicimus & tumulum à terra in cumulum erecta: Et ſarcophagum, à ſaxi carnem exedentis genere. Tumba quoque nonnunquam vocatur ſepulchrum. Vnde & Tymbion & Hemitymbion pro parua ſepultura. Cicero tamen Tymbon buſtum interpretatur; Vnde & maleficæ mulieres, quæ in ſepulchris verſantur, tymbades nuncupatæ. Pro ſepulchro etiam interdum arca, vrna, & cippus capitur. Item monumentum, quod & Græci μνημεῖον, vocatur & olla & ſolium, præcipue Plinio, Curtio & Suetonio. Vſi ſunt & veteres puticulo pro vetuſto ſepulturæ genere. Petronius Arbiter aliique nonnulli Conditorium ſepulchri genus faciunt, id ſcilicet quod Græci Hypogæum, quod ſubterraneum eſſet, vocauere. Conditiuum videtur à Seneca quadam Epiſtola dici. Mauſolæum præterea, ab eo quod in Caria fuit Mauſoli regis ab Artemiſia regina conditũ, ſæpe vocatũ legimus. Noſtri et Chriſtiani conchylia quandoq; appellauerunt. Item Ciboria, de quibus ex Græcis & Latinis alio loco plura. Sunt item quæ Græci ἠρία, quæ ideo ſic vocata, in Theocritum Grammatici tradunt, quod mortuis iniiciatur terra, quæ Græcis ἔρα dicitur. Alii ἠρία nuncupant, quæ noſtri ſuggrundaria, infantium ſepulchra, eorũ videlicet, qui quadrageſimum diem nedũ expleſſent, Rutilius Geminus, & Placiades authores. Sunt qui ſuggrundia & ſuggrundaria vocent, quorum M. Varro meminit, ſed non pro ſepulchri ſpecie. Coragium Fulgentius pro virginali ſepulchro vel funere interpretatus eſt, cuius rei cauſa à quibuſdam accuſatur, parum animaduertentibus hoc ſine afflatu ſcribi, illud choragium cum afflatu. Meminit & Feſtus Pom-

peius. Sunt & illa apud Iureconſultos ſepulchrorum genera, quæ gentilia & familiaria dicuntur, hoc eſt, quæ toti familiæ & genti comparata ſunt Sunt item hereditaria quæ hæredes ſequuntur. Lectuli vero & Lecti (ſic enim vtroq; modo vocati ſunt) quibus cadauera ad ſepulchrum feruntur, tum feretrum etiam, tum capulus, tum ſandapila, tum demum & loculus.

## *Nomina eorum, qui funera curant.*

Videtur & locus expoſcere, vt eorum quoque qui funera curant nomina breuiter annotemus. Sunt vero in primis LIBITINARII, vt ſupra meminimus, ſic à Libitina DEA nuncupati, qui Græce dicuntur, teſte Vlpiano, νεκροτάπται, & interdum ταφεῖς, & νεκροφόροι. Sunt & pollinctores, ſic vocati, quod pollincere apud veteres funus curare ſignificaret, quo verbo vſus eſt Plautus. Sunt & Veſpillones, ea ratione dicti, quod veſperi in primis ſepelirentur vita functi. Sunt & ſandapilarii à ſandapila feretro nuncupati. Erant & deſignatores, de quibus alibi facta mentio. Sed enim nec hoc eſt prætereundum, euerriatorem vocari eum, teſte Feſto Pompeio, qui accepta hæreditate, iure iuſta facere defuncto debet, qui ſi non fecerit, ſeu quid in ea re turbauerit, ſuo capite luat, id nomen ductum à verrendo. Nam exuerræ ſunt purgatio quædam domus, ex qua mortuus ad ſepulturam ferendus, quæ fit per euerriatorem, certo genere ſcoparum adhibito, ab extra verrendo dictum.

## *Qui Sepulturæ Honore priuantur.*

His ita expoſitis iam varios ſepeliendi ritus & mores afferam, ſi tamen illud te prius admonuero, eos quondam publico hominum conſenſu ſepulturæ honore carere, qui ſibi manus inieciſſent, quique, vt eſt Pythagoræ ſententia, iniuſſu Imperatoris ex ſtatione & præſidio deceſſiſſent, hoc eſt, qui ſe interemiſſent. Digniſſimum enim eſſe ait Egeſippus, eos qui DEI patris imperium non expectarent, priuari quodam quaſi matris gremio terræ ſepulchro. Alii tamen his dextram à cætero corpore abſcindebant, ea ratione ne membrum quod veſano quodam furore in corpus ſæuierat ſuum, cum eo pariter ſepeliretur. Eadem à Ioſepho traduntur. Hoc idem ſupplicium in parricidas, & matricidas ſacrilegos antiqui irrogabant, vt iidem Egeſippus & Ioſephus ſunt teſtes, quos tamen parricidas Romani in culeum, cum ſimia, gallo, & vipera inſutos in mare vel flumen proiicere ſolebant: & merito, vt indigni qui aliquo vitali fruerentur elemento, qui eos, à quibus vitam accepiſſent, ingratiſſimi violaſſent, perdidiſſent. Sed ipſos iam ſepeliendi ritus proſequamur.

VARII

# VARII SEPELIENDI RITVS.

## I.

## *Romanorum ſepeliendi Conſuetudo.*

A Romano populo, vt cæterarum gentium principe exordium ſumamus. Tametſi apud eos non vna, nec ſemper eadem fuerit conſuetudo, nec ab omnibus obſeruata, quod vel ex his quæ ſcribit Plin facile cognoſcas, ipſum inquit cremare apud Romanos non fuit veteris inſtituti, terrâ condebantur, atque poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognouerunt, tum inſtitutum. Et tamen multiuariè priſcos ſeruauere ritus. Sic in Cornelia domo nemo ante Syllam Dictatorem traditur eſſe crematus, idq; eum voluiſſe, veritum talionem, eruto ſcilicet C. Marii cadauere. Sed & Numæ Pompilii corpus in arca lapidea conditum legimus, quod multa poſt ſęcula à Cn. Terentio in Ianiculo effoſſum ſcriptores monumentis prodidere. Quâ de re ex diuerſis autoribus multa Plinius & Plutarchus, vt Lactantium & cæteros mittam. Manſit vero apud Romanos cremandi conſuetudo, vt à noſtris quibuſdam obſeruatum eſt, vſque ad Antoninorum Imperatorum tempora, quibus à pleriſque deſitum eſt corpora cremare, & rurſus terræ condere cœptum eſt. Romani igitur vbi animam ægrotus exhalare cœpiſſet, qui proximiores erant, ſi domi moriebantur, ſpiritum ore excipiebant, morientisq; oculos claudebant, quos oculos ſcribit Plinius rurſus in rogo patefacere Quiritum magno ritu ſacrum fuiſſe: ita more condito, vt neq; ab homine ſupremum eos ſpectari fas ſit, & cœlo non oſtendi nefas. Lege tamen Mania cauebatur, vt autor eſt Varro & Marcellus, ne filii parentibus luci claro oculos ſugillarent. Minus enim licebat vt filii parentum oculos in obitu ſugillarent. Quo loco Nonius ſugillare pro occludere exponit. Scribit Plutarchus eos vulgò infelices vocari, quorum oculos propter abſentiam non potuerunt parentes obtegere. Poſtquam ergo moriens exhalauerat animam cadauer, ii quos Libitinarios & Pollinctores diximus, lauabant, vngebantq;, & ſi cremandum foret, pyra lignis aliiſq; rebus ſtruebatur, pro hominis conditione: non enim eadem omnibus, nobili, ignobili, patricio & plebeio. Defuncti corpus albis veſtibus induebatur, vt ſcribit Plutarchus, tum in pyra, veſtes, vnguenta, aromata, & id genus cætera diſponebantur, inde funerationem, quam appellabant, faciebant, id eſt funeris pompa ducebatur. Filii operto capite parentes ſequebãtur, vt autor eſt Plutarchus. Idem hoc tempore cuſtoditur à neceſſariis & familiaribus in Italia, varie tamen. Filiæ verò nudis & paſſis crinibus ſeque-

quebantur, cuius rei cauſas inquirit idem ille Plutarchus, inter quas commemorat quod illa lugētibus accommodata ſunt, quæ minus ſunt vſitata. Nam cum mos eſſet, vt magis mulieres operto capite in publicum prodirent, & viri aperto, contraria in luctu factitari ſolere ait. Apud Græcos ſi quid aduerſi accidiſſet, mulieres totonſiſſe, viros comas aluiſſe, conſueuiſſe. Alias inſuper cauſas attulit, quas breuitatis cauſa miſſas facio.

### *Mulierum Næniæ.*

Fuit verò antiquis mulieribus eiulandi mos, & comas genasq; lacerandi, id quod & hodie quo tibi hæc ſcribimus, in Sabinis & toto fere Latio, & ſupra Latium perſeuerat, quod tamen Romanis mulierib. duodecim tabularum legibus fuerat interdictum. Verba Legis hæc ſunt: Mulieres genas ne radunto, Mulier faciem ne carpito, Mulieres leſſum funeris ergo ne habento. Eſt autem Leſſum, vt Lælius & M. Cicero interpretantur, lugubris eiulatio, quam rem S. Ælius & Lucius Attilius, alioqui doctiſſimi, haud ſane perceperunt. Sed miſſis his difficultatibus cœptum ſequamur inſtitutum.

### *Digitus Mortuo inciſus.*

Cum digitus defuncto incidebatur, ad quem ſeruatum iuſta fierent, reliquo corpore combuſto (quod factum, teſte Pompeio Feſto, membrum abſcidi mortuo dicebatur) mox cadauer curatum ad pyram ſandapilarii & Veſpillones efferebant, quo in loco is qui neceſſitudine defuncto maiore iunctus erat, auerſus rogo facem ardentem inferebat, vti & conſuetudo illa manſit, vti faces & funalia funus antecedant & ſubſequantur. Antiquiores nobiles nunquam fere ſoli comburebantur, apud exteras nationes dico, id quod ex Poetis in primis colligimus, Vergilio, Statio, & aliis. Sed & Homerus in Patrocli funere, famulos, equos, canesq; crematos cecinit. Apud Barbaros verò etiam vxores & ſeruos, vt retrò planius oſtendemus. Illud obſeruatum quoque, vt maioris ætatis homines ad tubam efferrentur, quod & ad hanc diem ciues Romani cuſtodiunt, minoris vero natu ad tibias. Fuit enim opinio, vt ſcribit Macrobius, mortuos ad ſepulturam cum cantu proſequi, quoniam animæ ipſæ poſt corporis vincula, ad originem dulcedinis Muſicæ, id eſt, ad cœlum ipſum redire, creditum eſt antiquis. Sunt qui ideo factum putent, quod anima ipſa à plæriſq; harmonia exiſtimata eſt, quod in primis credidit Herophilus, & eum ſecuti. Mox vbi vſtulatum corpus fuiſſet, buſtum dicebatur, cineresq; & oſſa cado colligebantur, amicis & cognatis circumſtantibus, tum defunctus funebri laudatione à propinquo laudabatur, quod cum ex aliis ſcriptoribus, tum ex Suetonio præcipue

cipue & Cornelio Taciro didicimus. Perfectis his præfica nouiſſimum verbum illud alta voce pronunciabat, ILICET, quod eſt, quaſi ire licet. Tum Cineres & Oſſa ſepulchro inferebantur, ante quod aram fieri ſolitam Maurus honoratus ſcribit, poſtquam verò omnia cõpleta fuerant, extremum vale alta voce pronunciabatur, hoc pacto, Vale, Vale, Vale, nos te ordine quo natura permiſerit ſequemur. Sed meo quidem iudicio melius nullus, nec elegantius omnia fere quæ diximus executus eſt, quam ſuo carmine Virgilius in ſexto Æneidos, cum de Miſeni funere ita cecinit:

*Nec minus interea Miſenum in littore Teucri*
*Flebant, & Cineri ingrato ſuprema ferebant,*
*Principio pinguem tædis, & robore ſecto*
*Ingentem ſtruxere pyram, cui frondibus atris*
*Intexunt latera, & ferales ante Cupreſſos*
*Conſtituunt, decorantq; ſuper fulgentibus armis.*
*Pars calidos latices & ahena vndantia flammis*
*Expediunt, corpusq; lauant frigentis, & vngunt.*
*Fit gemitus, tum membra thoro defleta reponunt:*
*Purpureaſq; ſuper veſtes velamina nota*
*Coniiciunt: pars ingenti ſubiere pheretro,*
*Triſte miniſterium, & ſubiectam more parentum*
*Auerſi tenuere facem, congeſta cremantur*
*Thurea dona, dapes, fuſo crateris oliuo.*
*Poſtquam collapſi cineres & flamma quieuit,*
*Relliquias vino & bibulam lauere fauillam*
*Oſſaq; lecta cado texit Chorineus aheno,*
*Idem ter ſocios pura circnmluit vnda,*
*Spargens rore leui, & ramo fœlicis oliuæ.*
*Luſtrauitq; viros, dixitq; nouiſſima verba.*
*At pius Æneas ingenti mole ſepulchrum*
*Impoſuit, ſuaq; arma viro, remumq; tubamq;*
*Monte ſub aerio, qui nunc Miſenus ab illo*
*Dicitur, æternumq; tenet per ſecula nomen.*

Atque hactenus quidem Virgilius, ſed nunc videamus, quamdiu fas eſſet lugere defunctos.

## *Quamdiu fas fuerit lugere Mortuos.*

Scribit Plutarchus Numam Pompilium apud Romanos pro ætati-

bus temporibusq; defuncti, lugendi modum ſtatuiſſe. Puerum non lugeri trimo minorem, neque etiam natu grandiorem, neq; etiam plus menſe, qui vixiſſet ad annos decem, & reliqua quæ de Græco exemplari caſtigato petenda ſunt, cum Latinum mendoſiſſimum ſit. Mulieribus quidem viduis decem menſes, hoc eſt, per annum lugere maritum fas fuit, tantus enim Romulo annus inſtitutus fuit; Vnde in Faſtis Poeta Ouidius:

*Per totidem menſes à funere Coniugis Vxor,*
*Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.*

Cum de anno decemmeſtri ageret. Idem Plutarchus à Numa inſtitutum ait, vt quæ ante decem menſes à mariti morte mulier nuberet, grandem vaccam immolaret. Leguntur & in Iuſtiniani Auguſti Codice illa verba: Si qua ex fœminis perdito marito, intra anni ſpatium alteri feſtinarit nubere, probro notetur. Scribit Annæus Seneca annum fœminis ad lugendum maiores conſtituiſſe, non vt tamdiu lugerent, ſed ne diutius. Viris nullum legitimum tempus fuiſſe, quia nullum honeſtum. Hæc ille. Aliquos tamen in Repub. viros excellentes annuo matronarum luctu ornatos legimus in Hiſtoriis, vt Marcum Brutum, & Valerium Publicolam. Idem ex vſu noſtris mulieribus in mariti funere permittitur. Sed mali adeò mores ætatem noſtram inuaſere, vt quæ quintumdecim diem vel viceſimum nõ expectauerint ad ſecundas nuptias, ego ipſe viderim. Sed mores hos longe funere peiores, ſatyticis perſtringendos mittamus. At enim vt honeſtum humanumque putamus mortuos lugere, ita Stoicos quoſdam inhumanos non ſatis probamus, qui maximum flendi ius in diem vnum duntaxat ſtatuunt, idque Poetæ Græci teſtimonio comprobatum volunt, qui Nioben infelicem illam matrem, poſt tot filiorum necem, de cibo cogitaſſe inducit: quibus & ego alios poſſem Poetas & Græcos & Latinos adducere, qui eam nimio lachrymatu in ſaxum diriguiſſe cecinerunt, perpetuis quaſi lachrymarum guttis manans. Sed nos hæc fabuloſa mittamus.

## *Ludi Funebres.*

Ludos quoque funebres & Græci & Romani inſtituerunt, vt ſupra meminimus, quos incœptari tuba, vel ex hoc Vergilii carmine cognoſcimus:

*Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos.*

Qui vero ludis præerant, Deſignatores vocabantur, quo nomine & qui funera curant, nonnunquam dicti ſunt. Funebrium autem ludorum principium à Græcis incepiſſe, manifeſte oſtendit Homerus, à quo ſuos Funebres ludos Vergilius & Statius deſumpſere. Ea vero funera, quibus ludi adhibebantur, Simpludearia dicta ſunt, vt ex Ticinio

anti-

antiquiſſimo Poeta colligitur. Indictiua autem dicebantur, quibus non modo ludi adhibebantur, ſed & Deſignatores, atque ideo ampliſſima putabantur. Dicta verò eo nomine, quod per præcones indicerentur, vt Feſtus ſubinnuit. Tametſi eo loci perperam quidam Inductiua ſuppoſuit.

### *Lecti & Lectiſternia.*

Lectos præterea & Lectiſternia in Romanorum exequiis deferri & conſtrui ſolita à potentioribus legimus, vt in Marcelli pompa ſexcenta, in Syllæ ſex millia, quod pro fortunæ qualitate ſcribit factum Seruius Grammaticus.

### *Imagines, Signa, Arma.*

Sed & nonnunquam imagines & ſigna in Funeribus præferebantur, vt Lactantius, ſeu Lutatius Grammaticus obſeruat in Papiniana Thebaide, in miraculum ſcilicet ſpectantium. Idem etiam innuit Horatius, cum ait:

*Atq; imagines ducunt triumphales.*

Statius quoque:

*Exin magnanimum ſeries antiqua parentum*
*Inuehitur.*

Vt Hiſtoricos hoc loco & alios miſſos faciam. Solebant cum primis Reges & Principes Vrbium antiquitus, quod & noſtris temporibus fieri vidimus Pontificibus maximis, tumulari condique cum gemmis aliisq; opibus: vnde exit illud Satyrici Perſii:

*O ſi ebullet patrui præclarum funus.*

Tametſi paſſim alio modo exponi à Grammaticis ſoleat. Certè ego in vrbis direptione, cum alia ſepulchra pleraque effodi vidi, tum Iulii ſecundi ſepulchrum, ex quo inter cætera Cæſariani milites annulum ſuſtulerunt, in cuius pala Saphyrus erat incluſus ingentis pretii, quem Auguſtinus Triuultius Card. multis aureis redemit. Vidimus præterea & arma, & ocreas vetuſtis in monumentis repertas. Sed & Hiſtoriæ de ſepulchris agunt, in quibus theſauri inuenti ſunt. Redeo nunc ad Sepulturas.

### *Cenotaphia.*

Erat & earum genus illud, quam noſtri Imaginariam & Inanem, Græci Cenotaphion vocant, cum mortuo iuſta abſente cadauere ſoluuntur. Cenotaphium Tranquillus Suetonius honorarium tumulum appellaſſe viſus eſt, cum de Druſo agit. Cæterum, inquit, exercitus ei honorarium tumulum excitauit, circa quem deinceps ſtatuto die quotannis miles decurreret, Galliarumque Ciuitates publice ſupplicarent.

Funus Imaginarium in Pertinace Capitolinus vocat: Funus, inquit, Imaginarium & cenſorium ductum eſt.

### *Legitima Sepultura.*

Legitima verò Sepultura vocabatur, cum defuncti corpus adeſſet. Erat & illud Sepulturæ genus, quod per pulueris, vel terræ, vel glebæ iniectionem celebrabatur, cuius Maro & Horatius, aliique meminere, atque in hos inprimis Grammatici. Id verò ſecundum Pontificalem ritum & circa cadauer, & circa abſentis corpus ſolennibus quibuſdam ſacris fieri conſueuerat. Quod & Marcus Cicero in legibus affirmat, & nonnihil ego ſupra retuli.

### *Si defunctus domi non extinctus.*

At ſi forte defunctus domi non extinctus erat, cui exequiæ celebrandæ fuerant, domi referebatur, vbi dies ſeptem ſeruatus, octauo incendebatur, nono ſepeliebatur, vnde & nouendiales pulueres vocat Horatius. Sed & Ludi funerales Nouendiales aliquando dicti ſunt, & ſacra ipſa Nouendialia. Quare nos noſtro quodam Hendecaſyllabo, rudes & inertes ſemper ſepulturis & cadaueribus quaſi vultures inhiantes, ſacerdotes, nouendiales, vulturios iocoſe certe, ſi minus recte, appellauimus. Ita enim ad ALEXANDRVM RANGON. noſtri HERCVLIS FRATREM, cum NEPHRITI EGO, & renum doloribus vrgerer, nec orationi dicendæ propterea intereſſe poſſem, cecini:

*At vobis male ſit mali dolores,*
*Bonis qui bona ſemper inuidetis,*
*Quin vrgete popas rudes inertes,*
*Iſtos vulturios nouendiales.*

### *Denicales Feriæ.*

Adhæc & Denicales feriæ ab antiquis celebrabantur, cum hominis mortui cauſa familia purgabatur, παρὰ τὸ νεκροὺς nuncupatæ, vt putat Sextus Pompeius, quanquam & non fortaſſis inerudite, ſi à Denarii numero deriuentur. Poſt nonum enim diem, quo tumulo cineres condebantur, decimo purgabantur. De his & Columella & Feſtus Pompeius meminerunt. Sed & M. Tullius in libris de Legibus, qui tamen locus parum ſincere legitur, vt eſt locupletius obſeruatum in noſtris annotatis.

## *Februa.*

Februa quoque à Romanis, menſe FEBRVARIO DITI patri celebrabantur, de quibus, vt alios mittam, copioſe & ornate agunt Ouidius Faſt orum libro ſecundo, & Feſtus Pompeius.

## *Apotheoſis.*

Videtur & hoc loco operæ pretium tibi referre Cæſarum & Imperatorum conſecrationem, quam ἀποθέωσιν Græci vocant, id Herodiani præcipui verbis, vt ſunt ab Herodiano in Latinam verſa. Mos eſt, inquit, Romanis conſecrare Imperatores, qui ſuperſtitibus filiis vel ſucceſſoribus moriuntur, quique ſunt eo honore affecti relati dicuntur inter diuos. Eſt autem tota vrbe quaſi luctus quidam feſtæ celebritati promiſcuus, quippe functum vita corpus more hominum ſumptuoſo funere ſepeliunt, ſed ceream imaginem defuncto quam ſimillimam effingunt, eamque in Regiæ Veſtibulo proponunt ſupra lectum eburneum maximum & ſublimem, veſtibus inſtratum aureis, & quidem imago illa ad ægroti ſpeciem pallida recumbit, circa lectum verò vtrinque magnam partem diei ſedent, à læua quidem Senatus omnis veſtibus atris amictus, à dextra verò matronæ, quas parentum aut virorum dignitas honorabiles claraſque reddit. Harum nulla vel aurum geſtans, vel monilibus ornata conſpicitur, ſed veſtibus albis exilibus indutæ mœrentium ſpeciem præbent. Hæc itaque per ſeptem dies continuos faciunt, medicis ad lectum quotidie accedentibus, inſpectumque velut ægrum, deterius ſe habere ſubinde pronunciantibus. Deinde vbi iam viſus obiiſſe diem, lectum humeris attollunt equeſtris ſenatoriique ordinis nobiliſſimi ac lectiſſimi iuuenes, ac per viam ſacram in vetus forum deferunt, vbi magiſtratus Romani deponere Imperiam conſueuerunt. Vtrinque autem gradus quidam ſunt ad ſcalarum ſimilitudinem extructi, in quibus altera ex parte puerorũ chorus eſt è nobiliſſimis atq; patritiis, altera fœminarum illuſtrium, hymnos in defunctum, pæanaſq; canentium, verendo ac lamentabili carmine modulatos, quibus peractis tollunt iterum lectum, atq; extra vrbem perferunt in Martium campum, vbi quam latiſſime campus patet. Suggeſtus quidã ſpecie quadrangula lateribus æquis aſſurgit, nulla præterquam lignorũ ingentium materia compactus in tabernaculi formam, id quidem interius totum eſt aridis fomitibus oppletum; extra aũt intextis auro ſtragulis atq; eboreis ſignis variiſq; picturis exornatum: infra verò alterum minus quidem poſitum eſt, ſed forma & ornatu perſimile portis ianuiſq; patentibus: tertiũ verò & 4. ſemper ſuperiore contractius, ac deinceps alia donec ad extremum,

quod eſt omnium breuiſſimum, perueniatur. Poſſes eius ædificii formam comparare turribus iis, quæ portibus imminentes, noctu igne prælato naues in tutas ſtationes dirigunt. Pharos vulgo appellant. Igitur lecto in ſecundum tabernaculum ſublato, aromata & ſuffimenta omnis generis, fructus, herbas, ſuccoſque omnes odoratos conquirunt, atque aceruatim effundunt: quippe neque gens eſt, neque ciuitas, neque qui honore vllo aut dignitate præcellat, quin certatim pro ſe quiſque ſuprema illa munera Principis honori deferant. Vbi vero ingens aromatum aceruus aggeſtus eſt, ac locus omnis expletus, tunc circa ædificium illud adequitant, vniuerſi equeſtris ordinis certa quadam lege, ac recurſu motuque pyrrhechico, numeroque in orbem decurrente. Currus item circumaguntur, inſeſſi purpuratis rectoribus, qui perſonas ferant ducum omnium Romanorum, Principumque illuſtrium: quæ vbi celebrata ſunt, facem capit imperii ſucceſſor, eamque tabernaculo admouet, tum cæteri omnes vndique ignem ſubiiciunt, cunctaq; illico fomitibus illis aridis odoramentiſque referta igne valido corripiuntur, mox ab extremo minimoque tabernaculo tanquam faſtigio quodam ſimul cum ſubiecto igni aquila dimittitur, quæ in cœlum creditur ipſam Principis animam deferre, ac iam ex illo vna cum cæteris numinibus Imperator colitur. Atq; hæc ita quidem ex verbis Herodiani. Illud vero hoc loco tibi animaduertendum, quod tabernaculum illud extremum recte faſtigium nuncupatum eſt. Nam & hoc apud autores & in nomiſmatis quibuſdam obſeruaſſe, vir antiquitatum ſtudioſus, amicus meus, & quidem eſt penes me argenteum nomiſma, dono mihi datum à B. Diuitio Bibiennate, D. Mariæ in porticu Cardinalis, in quo inſculptum eſt eiuſmodi tabernaculum cum inſcriptione, CONSECRATIO. Poſt hanc autem apotheoſin Sacerdos & ſodales ipſis in Diuorum numerum relatis Cæſaribus de ipſorum nominibus nuncupatos attribuebant, de quibus crebra eſt mentio apud Scriptores. Ab his longe diuerſa Chriſtianis fiunt, cum à Romano Pontifice maximo in Diuorum ſanctorumque numerum quiſpiam refertur. Nuper à Leone Pontifice maximo magna celebritate & religione, ceremoniiſq; omnis generis, cum in maiorum & minorum Pontificum, tum cæterorum promiſcua hominum frequentia celebrari conſpexi, cum in Diuorum numerum D. Franciſcum Paludem, virum inſigni pietate & religione retulit. Idem poſtea iterum conſpexi, Adriano ſexto Pontifice maximo, in ordinem Diuorum Antonium Florentinum Præſulem & Beronem Germanum referente. Sed de his iam ſatis.

*II. De*

## *De Ægyptiorum Funeribus.*

NVNC Romanis funeribus Ægyptiorum iure ſubiunxerim, vt poſt rerum Dominos vetuſtiſſimæ gentis inſtituta ſubtexam, atque in primis de eorum Regum ſepultura agam, quę multo apparatu celebratur, vt Diodorus ſcribit. Cum enim, inquit, Ægyptiorum aliquis è vita deceſſit, illum omnes communi luctu deflent, veſtes diſcindunt, templa clauduntur, iuſtitiũ indicitur, feſtiuitates nõ celebrantur, luto caput fœdant, totos duos & ſeptuaginta dies linteo & ſindone ſubtus mãmas cinguntur CC. aut CCC. permixti ſexus, bis interdiu vrbem luſtrant, luctum leſſumq; nouantes, regisq; virtutes ad numeros cõmemorant: cibis, coctis, vino, omni denique menſæ apparatu abſtinent, non lauacris, non balneis, non vnguentis, non ſtragulatis lectis, non Venere denique vtuntur, ſed per eos continuos dies mœrore & luctu afficiuntur. Interea quæ ad pompam faciunt comparant. Poſtrema verò die cadauer in arca repoſitum ante ſepulchri aditum collocant. Libellumque de rebus à Rege geſtis, breuem recitant, tum ſi qui ſunt, qui velint, Regem vituperant. His autem omnibus præſentes ſunt ſacerdotes, qui ſingula cenſent: adeſt & populus, qui Regis laudibus applaudit, vitiis reclamat. Quare factum eſt, vt Ægyptiorum aliqui indigni exiſtimati ſint, vt ſepulturæ honore honeſtarentur. Atque ita quidem Ægyptiorum regum exequiæ celebrabantur. Priuatorum verò & popularium ſic. Cum quiſpiam fato functus eſt, propinqui & amici luto caput deturpant, ciuitatem deflentes circumeunt, interim neque lauantur, nec niſi vile quippiam edunt bibuntq;, neque ſplendidis vtuntur veſtibus.

## *Tria Sepulchrorum Genera apud AEgyptios.*

Sepulchrorum apud ipſos tria habentur genera, ſumptuoſum, mediocre, humile. In primo argenti talentum, in altero minas viginti, in vltimo quid minimum exponunt. Qui funera curant, eorum impenſam domeſticis afferunt, petentes quanti velint funus apparari, atque ita inter ſe componunt. Primus igitur Deſignator, quem Grammaticum illi appellant, humi cadauere depoſito, circa illius illa deſcribit, quantum à ſiniſtra parte incidendum ſit: dein qui ſcindit lapide Æthiopico quantum lapidis deſignatum eſt à Grammatico, aperit, ſtatimque currens profugit, quem tum aſtantes lapidibus & execrationibus inſequuntur: mox qui ſalitores nuncupantur, cadauer in templo delatum, per quæ facta eſt, ſciſſuram expurgant, omnibus eductis inteſtinis & interaneis, præter cor & renes, quæ ab alio quopiam vino

Phœni-

Phœniceo lauantur, odoramentiſque liniuntur, mox reliquum corpus cedro vnguentiſque dies amplius triginta perunguntii, quibus hæc cura eſt, myrrhaq; ac cinnamomo, aliisq; rebus odoriferis perlinunt, quibus rebus cadauera à corruptione conſeruant. Vbi Deſignatores ita corpus curarunt, vt integrum cum ſuperciliis, palpebris, cęteris membris in dormientis modum quieſcere videatur, tum illud ipſius cognatis tradunt. Multi vero Ægyptiorum maiorum ſuorum corpora multo ſumptu ſic expurgata cõdiunt, & eorum etiam imaginibus valde oblectantur. Alii autem antequam ſepulturæ mandent, cum Iudicibus, ad hanc rem deſtinatis, diem indicũt exequiarum. Mortuum enim Acheruſiam paludem, quam & ſtyga quidam nuncupant, tranſiturum exiſtimant, quam prope Mempſim eſſe autores prodiderunt. Hanc rem ex Seneca aliter Seruius recitat. Ait enim circa Syenem locum eſſe, quem Ægyptii Phylas vocant, apud quem palus eſt Styx, quod triſtitiam tranſeuntibus gignat, limoſa & papyris referta: Vltra quam breuis eſt Inſula, quæ Abatos appellata eſt, quod ſit inacceſſa, cuius & Poeta Lucanus meminit:

*Hic Abatos, quam noſtra vocat veneranda vetuſtas.*

Lectum eſt erenim quod vicini populi ſuorum cadauera ad alteram regionem transferant. Sed ſi quis forte in fluuio pereat, nec eius corpus inueniatur, poſt centum annos ei perſoluuntur officia, atque hic illud propterea dictum eſt à Virgilio:

*Centum errant annos.*

Transmiſſa vero palude aſtant Iudices amplius quadraginta in hemicyclo præparato, trahiturque nauis, quæ ab illis βάρις dicta eſt, à Græcis ἐπιβάθρα, ad hoc opus ab illis comparata, quibus illa cura imminet. Eam vero nauim Nauta, qui ab illis Charon nuncupatur, regere dicitur, cui pro Naulo danacem ſoluere conſueuerunt (id obuli ſeu pecuniæ genus à danais, hoc eſt, vita functis, vel quod δάνα arida dicuntur, appellatur, adeo vt inde Prouerbium emanarit, Danace, quod dicitur de vltimis bonis, aliis vel conſumptis vel amiſſis.) Sane Græci Scriptores Melituttam maſſam quandam melle conditam ſeu offam eſſe tradunt, quę cum danace vel obolo vita functis dabatur in portitoris mercedem. Alii tamen offam Cerbero offerri prodidere. Sed ad Ægyptiorum inſtituta redeo, quæ primum ab Orpheo, & mox à Virgilio de Charonte & inferis tradita ſunt, id quod & ante me antiqui Grammatici obſeruauere. Igitur vltra ripam, antequam in arcam corpus condatur, deducta in palude naui, volenti cuicunque mortuum accuſare conceditur. Si quis ab Iudicibus fuerit, vt malus, reprobatus, ſepultura caret: & qui itidem iniuſte damnaſſe coniicitur, graui pœna punitur. Poſt hæc cognati compoſito

poſito luctu & lachrymis demortui hominis laudes recenſent, non eo vtique modo, quo Græci & Latini conſueuerunt, qui genus, familiam opeſque celebrant, ſed defuncti ipſius à pueritia facta, mores, doctrinam, iuſtitiam, continentiam, pietatem, religionem, cæteraſq; virtutes perſtringunt, Deoſq; manes inuocant, precanturq; vt inter pios illum reponant, quibus tota aſtantium concio læta quadam voce reſpondet; tum demum cadauer à domeſticis & familiaribus ſepelitur in propriis ſepulchris, ſed quibus ea deſunt, domi apud firmiorem parietem arca ſuſpenditur. Qui vero ob aliquam ignominię cauſam ſepultura priuantur, domi quidem ſine arca ſeruantur, quorum ſi ignominiam & delicta poſteri eluant, magnifice, vt alii, tumulantur.

## *Parentum Corpora Creditoribus oppignorata.*

Fuit & illa apud Ægyptios conſuetudo, vt Creditoribus in pignus darent parentum corpora, quæ qui non redemiſſet, perpetua infamiæ nota inurebatur. Lucianus tamen & Sextus Empericus hoc tantum de Ægyptiorum ſepulturis tradunt, eos inteſtina educere, dein corpora ſalire. Chryſippus & Cicero condire, & domi ſeruare. Plutarchus in ſympoſio, cadauera aperire, apricoq; aliquo loco ſoli exponere, inteſtina in flumen iacere, reliquum purgatum corpus aſſeruare. Strabo vero, ab aliis quidem cadauera in flumen præcipitari, ab aliis vero vitro circundata domi ſeruari, ab aliis in vaſis fictilibus alueolisque quibuſdam circum templa defodi & condi. Herodotus, Herodotumq; ſecuti ſcribunt in hunc propemodum: Vbi vita functus homo eſt, ferro incuruo inflexoque ad hoc parato cerebrum per nares mortuo educi, locum medicamentis expleri inteſtiniſque purgari, & lapide, vt diximus, Æthiopico illa diſcindi, odoramentis oppleri, mox conſuto ilii vulnere nitro ſaliri, LXX. dies quod vltra non liceret, lugeri (quare Moſes cum de Iacobi morte agit, qui in Ægypto deceſſit, illum ait Ioſephi filii iuſſu, ibi tum præpotentis more Ægyptio quadraginta diebus conditum, defletumque ſeptuaginta fuiſſe, inde cadauer linteamine inuolutum, gummique illitum, in ligneam hominis effigiem ad hoc paratam componi. Alterum dehinc ſubdit idem Herodotus mediocrium ſepulturæ genus, tum & tertium, ſed quæ nihil fere differant niſi ſumptu, vt etiam ante diximus. Demum vero ſubdit; Vxores vero inſignium virorum non ſtatim vita functas tradunt condiendas, ac ne eas quidem fœminas, quæ conſpicuæ valde & maioris momenti fuere. Sed triduo atque quatriduo exanimes cuſtodiunt, ea ſcilicet cauſa, ne cum ipſis mortuis ſalinarii concumbant. Quippe aliquando aiunt, quendam ex ipſis coeuntem cum recenti formoſæ mulieris cadauere deprehenſum, remque à ſociis indi-

catam. Id quoque obſeruant Ægyptii, vt cum quis Ægyptius vel hoſpes compertus ſit mortuus, ſiue flumine ſubmerſus, ſiue à Crocodilo raptus, ei ciuitati vbi compertus, vel ad quam deiectus ſit, neceſſarium eſſe illum condire, & honeſtiſſimo funere in ſacris monumentis ſepelire, quæ nulli niſi Nili ſacerdotibus fas ſit attingere, eos enim ſupra homines neſcio quid exiſtimant. Cur verò Ægyptii vt pleriq; omnes ſuorum cadauera non cremarent, hanc Herodotus rationem affert. Ægyptii, inquit, perſuaſum habent, ignem quandam animatam eſſe beluam, quæ, quæcunque nanciſcitur, deuorat atque conſumit: at cum eſt expleta ipſam, & quæ ab ipſa vorata ſunt, vnà emori, ac propterea non cremare, nec belluis offerre corpora, vt aliæ pleræque nationes Ægyptii ſtatuerunt: ſed ea cōdire ac ſalire, ne etiam à vermibus conſumi poſſent. Atque hactenus de Ægyptiorum funeribus dictum.

III.

*Aſſyriorum ſepeliendi Ritus.*

Eundem ritum ab Aſſyriis ſeruari quidam tradunt, verum illi potius cera & melle mortuos condiunt, aſſeruantque conditos. Reges ſuos in paludibus relinquunt.

IIII.

*Scythæ & Gerrones.*

Sed & quæ Scytharum & Gerronum pręcipua inſtituta legimus, hoc aſſcribamus loco, atque Regum in primis, quorum ab aliis eſt diuerſus ſepeliendi modus. Namque, vt Herodotus ſcribit, Rex vbi deceſſit, ingentem & quadratam ſcrobem effodiunt, dein regis corpus exenterant, ceraque illud vndique circumlinunt, aluum optime expurgant & ſcelere contrito, thymiamate apii ſemine & aniſi complent, reſutumque cadauer ad alias gentes plauſtro deferunt, quod illi excipientes aurem recidunt, crinem circumtondent, brachia circumcidunt, frontem naſumque ſauciunt manum, ſiniſtram ſagittis traiiciunt, poſtmodum cadauer ad aliam rurſus gentem, cui imperitent carpento deuehunt, atque inde referunt eò vnde prius diſceſſerant, omnibus regem comitantibus ad id deſtinatis. Simulac verò luſtratæ ſunt omnes nationes, quibus rex viuens imperabat, apud illas, quæ in extremis habitant, reponunt, cadauerque ſuper thorum in loculo componentes haſtas hinc & hinc defigunt, & deſuper ligna diſponunt, & pallio contegunt. In altera verò loculi parte aliquam ex regiis concubinis iugulatam ſepeliunt, atque vna pocillatorem, coquum, equiſonem, miniſtrum, & qui regis erat à nunciis, equosque, & aliarum rerum omnium primitias, cum iis etiam phialas au-

las aureas, aliaque huiuſcemodi. Hanc tamen Seruius Grammaticus Indorum eſſe conſuetudinem exiſtimauit. His autem quæ iam retulimus circa Regis inferias expeditis, humum certatim iniiciunt, quam maximum tumulum ſtruere parantes. At vbi annuum exactum eſt ſpacium, itidem rurſus agunt, quinquagintaque ex ſeruis ingenuis ſtrangulatos mactant, totidemque equos, quos eductis inteſtinis palea replent, eosq; tum quinquaginta iuuenes, tum equos tignis traiicientes, dirum ſpectaculum ſepulchro regio circumponunt. Atque hæ quidem Scytharum regum inferiæ. Priuatorum verò & reliquorum in hunc modum fieri ſolent. Defunctorum corpora condiunt, eaque plauſtris impoſita proximi ad amicos circumferunt, cadauer excipientes epulum iis, qui illud ſequuntur, exhibent, & in hunc modum quadraginta diebus priuatorum hominum comitatus circumagitur, poſthæc humatur, ſi prius tamen cadauer expurgauerint. Caput cerebro euacuant, abluuntq;, circa corpus tria ligna ſtatuunt, hinc indè procumbentia: circum hæc lanea pilea obtendunt, quam maxime poſſunt obſtipantes, & in ſcapham inter ligna pileaque poſitam, lapides igne candentes iniiciunt, ſuper quos ſemen cannabis, quæ apud illos precioſiſſima naſcitur, imponunt, vnde vapor emanat omni Græcorum ſuffimento odoratior, quo ſtupentes odore Scythæ eiulant, ſtupentq;, id quod eſt apud eos lauacri loco. Neque enim corpora lauant, ſed eorum vxores aquam infundentes, cupreſſo, cedro, aut thuris ligno, ad ſcabrum aliquod ſaxum corpus atterunt, mox cum intumuerit, illud medicamentis quibuſdam perlinunt, & ſimul faciem, quæ poſtero die, amotis medicamentis, conſpicua ſplendidaq; apparet.

## *Alius Scytharum Mos.*

Alios eſſe Scythas legimus, qui inter epulas defunctorum corpora deuorant, quod Lucianus & Tertullianus ſcribunt. Sed quoniam ampliſſima latiſſimaq; eſt Scytharum regio, ſunt ex iis aliqui, quibus ferè perpetuæ ſunt niues, qui parētum cadauera inter niues & glaciem truncis affixa arboribus ſuſpendunt, arbitrati flagitium & ſcelus eſſe, ea terræ mandare, ſcribit Stobæus, Tauros gentem Scythicam qui & Taurici appellati ſunt, cum Regibus extinctis gratiſſimos eorum amicos ſepelire, ſi vero amicus aliquis Regi interierit, pro illius merito regem aut totam aut partem auris abſcindere. Apud eundem Stobæum legimus Indos id moris habuiſſe, vt tot piſces in ſepulchrum coniicerent, quot hoſtes, qui ſepeliretur interfeciſſe conſtaret.

IV.

## *Aethiopum Ritus ſepeliendi.*

Æthiopas diuerſos eſſe manifeſte qui de orbis ſitu ſcripſerũt, oſtendunt: Atlanticos tamen in Africa imprimis celebratos inuenio, quorum ſepeliendi inſtituta Scythicis ſubiungere non ab ordine alienum mihi viſum eſt: ſi prius tamen de Regum morte in medium attulero. Scribit Diodorus, Sacerdotes qui circa Meroen Inſulam Deorum cultui aſſiſtentes inſeruiunt, maximam præcipuamque autoritatem habere, eamq; imprimis, vt cum oportunum eis viſum ſit, & expedire, Regibus ſignificare, vt ſponte mortem oppetant, quibus dicto audientes Reges nullatenus abnuentes, voluntariò eam ſubeũt, aliquoſq; apud illos eſſe, qui cum Rege libenter occumbant, nec deeſſe, qui, ſi forte Rex aliqua corporis ſui parte debilis ſit, vt Regem imitentur, ea ſe parte mutilant priuantq;, adeo verum eſt quod à lepido Poeta canitur:

*Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.*

Quod & à Philoſopho multo ante ſcriptum fuerat. Priuatorum vero Æthiopum, quemadmodum diuerſa eorum regio, ita varia quoque ſepeliendi inſtitutio. Alii quidem defunctos in fluminibus abiiciunt, id elementum optimum arbitrantes. Sextus quidem Empericus hos Ichthyophagos nuncupatos ait, hoc eſt, vt quidam verterunt, Piſcedulos: idque ea ratione ab ipſis fieri prodit, vt à piſcibus cadauera vorentur, quod piſcibus ii victitent. Alii ſunt Æthiopes, qui vitreis vaſis concluſos mortuos ſuos conſeruant, vt nepotibus & poſteris eorum ſint notæ effigies, & idcirco eorum ſæpe ſunt memores. Herodotus tamen rem ita explicat. Poſteaquam, inquit, Æthiopes, qui Maerobii vocantur, mortuum arefecerunt, totum gypſo inducunt, picturaque exornant, & eius quoad fieri poteſt effigiem repræſentant. Dein ſepulchrum ei è vitro, quod apud illos abundat & paſſim effoditur, circundát, in cuius medio defunctus interlucet, nihilque fœditatis vel tetri odoris exhibet, ſed omnia pene viuo aſſimilis. Sepulchrum hoc ipſum propinqui per annum intra ædes ſeruant, omniumque illi rerum primitias offerunt, anno vero exacto efferunt, extraque vrbem ſtatuunt. At eorum alii fictilibus vrnis condientes, circa Templorum ſepta ſepeliunt, & per hoc maximum habent iuſiurandum. Quidam & Satis hoc attribuunt, vt retro diximus.

V.

## *Indorum ſepeliendi Conſuetudo.*

Indorum quoq; multiplex variaq; ſepeliendi conſuetudo.

*Paren-*

*Parentes mactantur.*

Quidam parentes,priuſquam annis aut morbo aliquo in maciem eant, velut DEORVM hoſtias mactant, cæſorumque viſceribus epulari fas & maxime pium eſt. At vbi ſenectus aut morbus inceſſit, procul à cæteris abeunt,mortemque in ſolitudine,nihil anxii ſollicitiue expectant.

His prudentiores,quibus ſapientiæ ſtudium contingit, mortis tempus non expectant, ſed ſemet ignibus ingerendo, eam læti & hilares acceſſunt. Scribit Egeſippus eos primum proteſtari, quod diſcedere velint,nec ideo vllum obſtrepere. Deinde vbi apparatus mortis proceſſit, eos lætos inſilire ardentem pyram,& aſtantibus valedicere, dolere quidem mulieres,quaſi ſubſidio deſtitutas,& paruulos liberos, quod derelinquantur.Alios vero cæteros benedicere,nec inuidere,quod meliores ipſi ad ſplendidiora loca & ad puriora conſortia feſtinent. Hoc idem & ſuo carmine Lucanus teſtatur:

*Quiq́; ſuas ſtruxere pyras, viuiq́; calentes*
*Conſcendere rogos.*

Hunc inſuper & alium alias nationes moriendi morem habere legimus, vt dicemus.

VI.

*Padæi.*

Padæos gentem Indicam ſcribit Herodotus, ægrotantes interimere ac epulari,mulieresque mulieribus idem officii præſtare,etiamſi negent ægrotare, qua cauſa, inquit, pauci apud eos ad ſenectutem peruenire dicuntur, & ſi perueniant mactati itidem comeduntur. Plinius apud Indos linum gigni prodit, quod Latini viuum, Græci Asbeſtinon ex argumento naturæ vocant, quod ignibus non abſumitur. Ex eo factas Plinius ſe vidiſſe mappas ait, & ego ex aliis hoc tempore audiui: ex eo funebres confici ſolebant tunicæ, quæ Regum fauillam corporis cremati à reliquo ſepararent cinere.Maurus vero Honoratus in Commentariis Virgilianis Indorum conſuetudinem ſcribit fuiſſe, vt quoties eorum Reges moriantur, cum his dilecti equi, ſerui, & vna de Vxoribus, quæ Regi charior fuiſſet, incenderetur, inter quas de hac ipſa re magna erat contentio. Solinus, aliique nonnulli non modo Regum Vxores hoc facere, ſed & priuatorum prodiderunt. Solini verba aſcribam. Apud Indos, inquit, quibus ad viuendi rationem propenſior cura eſt, multæ Vxores in eiuſdem viri coeunt matrimonium, & cum maritus

homo eſſe deſierit, apud grauiſſimos iudices ſuam quæque de meritis agunt cauſam, & quæ officioſior cæteris ſententia vicerit iudicantium, hoc palmæ refert præmium, vt arbitratu ſuo aſcendat rogum coniugis, & vmbris eius ſemetipſam det inferias, cæteræ nota viuunt. Lucianus verò Indos μυέλῳ, hoc eſt medulla circumlini. Alii Indis, qui Macrobii cognominati ſunt, hoc ipſum attribuunt. In vulgatis Luciani Codicibus male, vt puto ὑάλῳ pro μυέλῳ legitur. Diuerſa ab his Sextus Pyrrhonius. Indorum enim, ait, aliqui, vulturibus cadauera lancinanda attribuunt. Aliqui Taxillis hoc tribuũt, vt Hieronymus ſcribit, & ante Hieronymum Ariſtobulus, vt eſt apud Strabonem, qui Taxillam vrbem locupletiſſimam & inſignem Indiæ ſcribit, qui eius regem Taxillum, quod recte ſe erga Alexandrum geſſerat, ab eo honoribus ad inuidiam reliquorum, accumulatum. Alii hoc quod diximus de Vulturibus liberas factitaſſe prodiderunt. Sed mirum hoc, cum Procopius hac ſolum cauſa à Perſis prouocatos ſcribat, quod Chriſtianorum ritu defunctorum corpora ſepelirent. Verum hoc potuit diuerſis temporibus contigiſſe.

## VII.

## *Calaciæ Gens.*

Indicam inſuper gentem Calaciæ ſcribit Herodotus, quæ parentibus veſcatur. Vnde, inquit, interrogatus à Dario, quantum pecuniarum peterent, vt patres igne cremarent, illos reſpondiſſe, iube Rex meliora ominari. Sunt & apud Indos ſapientes Brachmannæ, qui mirabiliter mortem contemnunt, quod cum ab aliis tum à Strabone traditur, ſeq; ad eius contemptum mire exercebant. Idem Megaſthenes prodidit. Notiſſima eſt de Calano Hiſtoria, qui ſe vltro incẽdio obtulit, cum iam mori decreuiſſet. Nicolaus Damaſcenus & Philoſophus & Hiſtoricus ſcribit à ſe viſum Zarmanochegam Indum, qui ſatis fortunatus Athenis ſe cremauit, quod abunde vixiſſet, in cuius tumulo ita inſcriptum fuit. Zarmanochegas Indus ex Barcho iuxta patrios Indorũ mores ſe ipſum immortalem faciens, hic iacet. Atque de Indis hucvſque.

## VIII.

## *Græcorum ſepeliendi Ritus.*

Iam verò Græcorum ſepeliendi morem afferamus, quos Lucianus ait cadauera cõbuſſiſſe, ꝗ & manifeſtius ex Poetis colligimus, atq; inprimis Homero, qui in Patrocli funere rem clariſſime executus eſt, in cæteris ea fere quæ noſtri. Cæterum qui pro patria occubuiſſent, longe honeſtiore exequiarũ honore afficiebantur, quã rem luculentiſſime deſcribit Thuc. & propterea eius fermè verbis hic tibi aſſcribam. Facto, inquit, triduo ante

ante exequiarum diem tabernaculo, mortuorum oſſa proponebantur, & ſuorum quiſq; reliquiis, ſi quid libuiſſet, imponebat. Cum efferebantur, ſingularum tribuum ſingulas arcas, ſuæ cuiuſque tribus oſſa continentes vehiculo deportabant, vnus prætérea totus inanis conſtratus ſimul deferebatur, eorum quorum oſſa non extarent, vel inter cæſorum corpora reperti non fuiſſent. Educebant verò funus voluntarii quique promiſcuo vel ciues vel hoſpites, cum interea fœminæ aliqua defunctis neceſſitudine coniunctæ lachrymantes deflerent: oſſa ſepulchro publico compoſita inferebantur, quod Athenis quidem iuxta Calliſti monumentum fuerat in ſuburbanis, quo in loco ſemper qui in pugna occiderant, ſepeliri conſueuere, præter eos, qui in Marathone occiderant, quorum ſingularem fuiſſe virtutem exiſtimãtes, eodem in loco monumentum erexerunt. Poſtea verò quam ſepulturæ traditi omnes fuiſſent, vir eloquentia præſtans ex numero ſeligebatur, qui in defunctorum laudes luculẽtam haberet orationem. Extant ad hunc diem Orationes elegantiſſimæ hac de re Lyſiæ, Demoſthenis & Periclis ſeu Thucydidis, quas nunc me vidiſſe recordor. Athenienſes quidem adeò ſepulturæ eorum, qui in bello occubuiſſent, curam habuere, vt ſi quis ducum bello peremptos ſepulchro honeſtare neglexiſſet, capitis pœna puniretur, quare & ſummos duces, quia cæſos nauali pugna in mare deiecerãt, graui ſupplicio affecere. Quin & cum occiſorum pro patria cadauera minus aſſequi poſſent, diſperſa eorum oſſa & diſſipata, diligenter exquirere, & humo mandare curæ fuit, cæteraque facere, quæ ſuperius modo commemorauimus. Vnde de Nicia egregio Athenienſium Imperatore traditur, quod omnem exercitum ſubſiſtere iuſſit, vt duos tantum peremptos milites ſepulturæ mandaret. Cimon quoq; Miltiadis filius ſe captiuum exhibere non dubitauit, vt pater ſepulturæ traderetur. Sed hæc publica. Priuatum verò morem fuiſſe tradit M. Tullius Athenienſibus à Cecrope inſtitutum, hoc eſt, terra humandi, quod cum proximi fecerant, obductaque terra erat, frugibus obſerebatur, vt ſinus & gremium quaſi matris mortuo tribueretur, ſolum autem frugibus expiatum, vt viuis redderetur. Verum cum apud eos increuiſſet funerum & ſepulchrorum magnificentia vſque ad luxum, Demetrius Phalereus eam minuit lege, & ante lucem voluit cadauera efferri, ſepulchriſq; nouis modum finiuit. Nam ſuper terræ tumulum noluit quid ſtatui, niſi columellam, tribus cubitis non altiorem, aut labellum, quin & certum his magiſtratum præfecit. Illud præterea humandis defunctis ab Athenienſibus obſeruatum, vt orientem verſus cadauera vertere ſolerent, contra verò ad occidentem Megarenſes & Phœnices.

IX. Lace-

## IX.

### *Lacedæmoniorum Funera.*

Nec parua incuria omiſerim Lacedæmoniorum Regum funera, quę à parciſſima licet Ciuitate, multo tamen & magnifico apparatu celebrari ſolebant, id quod imprimis oſtendit Herodotus. Nam equites inquit per vniuerſam Laconum regionem Regis interitum pronunciabant, fœminæ per vrbem ollas pulſitabant. Interea dum hæc ſic fierent, ex ſingulis domibus mas & fœmina ſeſe præ luctu & lachrymis fœdabant, quod ſi facere renuiſſent, grauibus pœnis mulctabantur. Regiis exequiis ex omni Lacedæmoniorum regione neceſſarios quoſque & vicinos adeſſe oportebat, qui ſimul ad Regis funus coniuncti conueniſſent, promiſcuo ſibi viciſſim frontes pulſabant cum gemitu & vlulatu, optimum quemque vltimum fuiſſe Regem vociferantes. Si quis vero eorum bello periiſſet, eius ſimulachrum effingebant, totoque ſplendide ac magnifice ſtrato componebant, perque decem dies continuos, qui regio funeri dicabantur, iuſtitium indicebatur, & ſilebant fora, nec interim magiſtratuum conſeſſus vllus erat, verum aſſiduus luctus. Atq; hæc Spartiatarum Regum inferiæ. Ciuiles vero exequias Lycurgum ita ſtatuiſſe accepimus, vt nihil cum mortuo ſepeliretur, puniceo tantum amictu velatum & oleæ fronde cadauer terræ obduceretur. Eiuſdem quoque lege ſancitum, vt in vrbe & ſecus Deorum templa ſepulchra conſtruerentur, vt Plutarchus docet, à quibus, vt diximus, Chriſtiani ipſi noſtrum inſtitutum ſumpſiſſe videri poſſumus. Lugendi vero tempus ad vndecimum diem illis præfinitum fuit, duodecimo Cereri rem ſacram faciebant, luctumque ſoluebant.

## X.

### *Argiuorum Ritus.*

Argiui ex Græcis omnibus in funeribus albis veſtibus, ablutis aqua, teſte Socrate, ſoli induebantur, in quibus & ſacrum illud erat, quod ἐγκνίσμα illi vocabant, in quo & carnes coctas exhibebant, vt Plutarchus refert. Præterea circumlitos mortuos condire ſolitos, ſcribit Cicero, vt quam maxime corpora diuturna permanerent. Hoc & Aſſyriis, vt paulo ante diximus, attribuitur.

## XI.

### *Perſarum ſepeliendi Ritus.*

Strabo etiam, Sola, inquit, ſepeliunt corpora Perſæ, cæra oblinentes, MAGOS VERO INSEPVLTOS AVIBVS EDENDOS DIMITTVNT.

D.Hie-

D. Hieronymus Perſas, inquit, non prius cadauera humare, quam aut ab alite, aut à cane traherentur. Idem & Procopius. Idem & Agathius in ſecũdo Hiſtoriarum cum de ſepultura ageret Mermeroes Perſarum Regis viri ſtrenuiſſimi. Tunc inquit, in deſtinatum locum ſolum nudumque cadauer Regis mortui reliquerunt, canibus ſimul & auibus, eiuſmodiq́; cæteris carniuoris obſcœnisq́; animantibus vorandum, quando quidem inquit, hunc Perſæ ſeruant ſepeliendi ritum, vt nudata à canibus & feris oſſa per campos diſperſa maneant. Neq; enim aut vrna condere, aut terra obruere defunctorum corpora fas eſt Perſis. Hæc ferme ille. Lucianus tamen Perſas ſepeliri tradit. Quod autem Perſę ſuorum cadauera non cremarent, vt Græci, in promptu cauſa eſt, quod DEVM ipſi ignem arbitrantur, eumq; colunt, & propterea nefas illis videtur, DEVM hominum cadauera depaſci. At verò Curtius in lugubri veſte Perſarum coniuges & liberos in funere tonderi prodidit. Non homines modo, ſed & iumenta quoq; teſtis eſt Herodotus in vltimo, cum de nece agit Maſiſtii, viri apud Perſas ſpectatiſſimi. Suetonius etiam Tranquillus cum Grammatici interitum deſcribit: quin & Barbaros, ait, quoſdam Regulos ferunt barbam poſuiſſe, & vxores capita raſiſſe, ad indicium maximi luctus.

## *De Tonſura Capillorum.*

Sed poſtquam incidimus in tonſuræ mentionem, ſcribit Plutarchus Græcos, ſi quid eis aduerſi accidiſſet, viros capillos aluiſſe, fœminas totondiſſe, vt ſupra quoque meminimus. Scribit Herodotus Argiuos capita totondiſſe, cum ſuperati à Lacedæmoniis fuiſſent in agri Thyræi contentione, ac ſi in maximo luctu conſtituti fuiſſent. Vnde, ait, legem tulerunt, ne quis comam aleret, donec Thyręas recuperaſſent. Stobæus ex Nicolao Damaſceno, Philoſopho & Hiſtorico apud Græcos doctiſſimo, morem recitat fuiſſe, quod ſi quis apud Indos maximum aliquod peccatum admiſiſſet, à Rege tonderi iubebatur, tanquam apud eam gentem tonderi maxima ſit ignominia & dedecus. Sed de Capillorum tonſura ſi minus forte accurate, copioſe tamen ſcripſimus ſuper illud Moſis, non in rotundum caput attondebitis, quare iam nunc in viam redeo.

Scribit Sextus Empericus Perſarum morem eſſe vita functos in crucem tollere, nitro ſalire, & poſtmodum corio contegere. Perſarum Magos ac ſapientes ſcribit Cicero ſuorum corpora non humare, niſi ſint antea à feris laniata. Parthi eadem ferme quæ Perſæ inſtituta ſeruauere, hoc eſt, defunctorum cadauera canibus auibuſq; lanianda proponere, nudaq; poſt oſſa terra condere.

XII.

*Hyperborei ad Arcton.*

Hyperborei ad arcton morem hunc cuſtodiunt. Mors, inquit Plinius, non niſi ſatietate vitæ epulatis delibutisque ſenibus luxu, ex quadam rupe in mare ſalientium, hoc genus ſepulturæ beatiſſimum. Eadem ſcribit Mela Pomponius.

XIII.

*Co Inſula.*

Hæc Lex in Co Inſula ad Helleſpontum poſita fuiſſe proditur, vt Sexagenarii aconito vitam finire cogerentur, ne videlicet deſides abſumerent fortium virorum cibaria.

XIV.

*Troglodytæ.*

Troglodytarum ſepultura fuiſſe pene ridicula videri poteſt. Nam vt eſt à Diodoro proditum Paliuri ramuſculis corpus obligabant, ceruicemq; cruribus annectebant, inde cadauer ipſum eminentiori loco depoſitum ſaxis & lapidibus obruebant. Dein ſuper ſaxorum cumulum, nullo de ſuorum morte affecti dolore capræ cornu deponentes cum riſu abibant. Sextus Pyrrhonius eadem fere omnia, niſi quod de Paliuri ramo non meminit.

XV.

*Inſulæ Baleares.*

In Inſulis quæ Balearides noſtris, à Græcis Gymnaſides vocantur, illud quidem moris fuit, vt eius qui eſſe deſiit, lignis quibuſdam corpus membratim in fruſta conciderent, & mox conciſum in vas componerent, tum demum ſaxorum ac lapidum aceruo accumularent, id quod Diodorus Siculus ſcriptum reliquit.

XVI.

*Naſamones Africani.*

At Naſamones Africana gens, ſedentes vita functos ſepeliebant, idq; maxime obſeruabant, vt cũ quis animam efflare cœpiſſet, ſedentẽ conſtituerent, ne ſupinus occumberet, quod ſcribit Herodotus. Silius verò Italicus Naſamonas in mare ſua cadauera, & in pelagus proieciſſe cecinit.

*XVII. Pa-*

XVII.

*Panebi in Libya.*

Panebi populi Libyæ, cum eorum Rex moriebatur, reliquum quidem corpus eius ſepeliebant, vt Stobæus tradit, caput vero abſciſſum & inauratum in Templo ſuſpendebant, ac conſecrabant.

XIIX.

*Nabathæi, Arabes, Sabæi.*

Nabathæi atque Arabes, nec non Sabæi defunctorum corpora ſtercoribus ſimilia putabant, atque ideo regum ſuorum ac ducum cadauera in ſterquiliniis, cœno ſimoq; obtegebant, dein terra condebant.

XIX.

*Maſſagetæ Parentes comedunt.*

Maſſagetæ verò Scythica gens eos miſerrimos ac infeliciſſimos putabant, qui infirmitate ac morbo decumbentes morerentur, talesque feris beſtiisque vorandos proiiciebant. Vnde cum parentes & propinqui in ſenium vergerent, iugulabant, eosq; in fruſta conciſos, & ouium ac pecudum carne permixtos, in menſa appoſitos abſumebant. Satius rati à ſe illos, quam à vermibus abſumi. Idem ferme ſcribit Herodotus in primo. Septimius verò Tertullianus in libris aduerſus Marcionem inſtitutum hoc Pontices gentibus aſſcribit, Parentum, inquit, cadauera cum pecudibus cæſa conuiuio conuorant, qui non ita diſceſſerint maledicta mors eſt.

XX.

*Colchi.*

Colchos mortuos non ſepeliſſe ſcribit Stobæus, verum ex arboribus ſuſpendiſſe, quod genus ſepulturæ aërium fuit.

XXI.

*Derbices.*

Derbices gens Scythica Hyrcanis proximi eos qui ſeptuageſimum annum exceſſiſſent, iugulabant, & in conuiuiis appoſitos neceſſarios & propinquos ad epulas conuocabant. Abſtinebant verò à Vetularum carnibus, eas tantum præfocatas condebant. Atqui ſi ante id temporis ſpacium aliquis fato ceſſiſſet, non eſſe, ſed terra condere ſolebant.

XXII.

*Caſpii in Parentes.*

Caſpii parentibus, vt ſeptuageſimum annum inſtare viderent, occludunt, illosq; recte admodum obſeruant, vt fame intereant. Alii tradunt, vbi ad id ætatis peruenerint, inter ſyluas in lectulo deſtitui, finem rei obſeruantibus & proſpicientibus ſuis. Quod ſi forte ſupraúolantes aues vnguibus & roſtro iacentes diſcerpſerint, ſummum eos felicitatis gradum aſſecutos arbitrantur. Si verò à canibus & feris dilanientur, eos quidem beatos ac felices exiſtimant, ſed non æque vt ii qui à volucribus diſcerpti ſint. At ſi neq; ab his, neque ab illis, eos perinde ac infeliciſſimos lugent.

XXIII.

*Eruli.*

Eruli, qui Danubii accolæ ſunt, eam teſte Procopio conſuetudinem in ſepeliendis ſuis habent, vt ſenibus quidem & morbo male habentibus fas non eſſe exiſtimarent diutius vitam producere. Verum vbi aliquis ita eſſet affectus, propinquos rogare cogebatur, vt ſe quanto ocyus ex humanis delerent, tum verò proximi & cognati ingentem pyram lignis ſtruere, vt ſuper eam tanquam faſtigium quoddam, hominem morti deſtinatam collocare. Ad hæc aliquis nulla ei neceſſitate coniunctus, pugione illum conficere, cognati ignem rogo iniicere, cremati oſſa legere, terra condere, legibus obligantur. At verò defuncti vxor ſi non multo poſt iuxta viri ſepulchrum laqueo vitam finiiſſet, perpetuæ ignominiæ nota inurebatur.

XXIV.

*Bactriani & Hircani.*

Bactriani & Hyrcani ſuos ætate confectos canibus obiicere conſueuere, quos quidem canes propterea publice alebant, ſuæque linguæ vocabulo Sepulchrales vocabant. Quod immane facinus Nicanor apud Bactrianos Alexandri præfectus cum emendare tentaſſet, pene, vt ſcribit Hieronymus, regnum amiſit. De Hyrcanis quidem in hunc propemodum modum Cicero: In Hyrcania, inquit, plebs publicos alit canes, optimates verò domeſticos, atque pro ſua quiſque facultate canes parat, à quibus lanietur, optimamque eam cenſent eſſe ſepulturam. Idem Sextus Empericus aſſerit. Sunt qui & canes ipſos ſepulchrales ideo nuncupent. At D. Hieronymus non à canibus ſolum lacerari tradit, ſed & volucribus ſemiuiuos lancinari, atque vt canit Lucretius:

*Viua vident viuo ſepeliri viſcera buſto.*

XXV.

*Tibareni Scythiæ.*

Tibareni, qui Scythię populi ſunt, quos ſenes dilexerunt patibulis affigunt, id quod & Perſas facere ait Sextus.

XXVI.

*Eſſedones.*

Eſſedones Scythiæ & ipſi populi, parentum ſuorum funera cantibus lęti proſequi dicuntur, conuocatisque propinquorum cœtibus, cadauera ipſa dentibus laniant, pecorumque viſceribus mixta, vt de Maſſagetis retulimus, conuiuis inter epulas apponunt. Oſſe autem capitis, quod craniam vocamus & caluariam, poculi loco habent, quod & auro circumornant, vt Solinus autor eſt & Mela. Alii Celtis hoc attribuunt, quod modo de Capitis oſſe dixi. Aliter ab Herodoto traditur, ait enim, defuncti caput denudatum purgatumq; inaurant, eoq; pro ſimulachro vtuntur, agentes illi quotannis maiores & hoſtias & ceremonias.

XXVII.

*Albani.*

Albanos montis Caucaſi incolas, defunctorum curam nullam habuiſſe, ſunt qui tradant, eoſque cum opibus & pecuniis reliquisque eorum rebus pretioſis quibuſcunque parentes ſepelire, iam olim conſueuerant, ne ſcilicet diuitiæ poſt obitum relictæ defunctorum memoriam deſideriumq; afferrent, autor Strabo, vnde & parum diuites fuiſſe à ſcriptoribus produntur.

XXVIII.

*Lotophagi.*

Lotophagi Libyæ populi ſuorum cadauera in pelagus iacere conſueuere, ea ſuaſi opinione, minimum intereſſe, humone an humore corpora diſſoluantur.

XXIX.

*Pæones.*

Pæonas Laertius in ſtagna ſuos iam vita functos proiicere ſcriptum reliquit. Suos & Ichthus ophaphi, vt dictum eſt.

XXX.

*Phryges.*

Phryges igne cremare, vt Græci, conſueuere, mox ſepelire. Alia

Sacerdotum conſuetudo, quos decem cubitis erectos conſtituunt ſublimes ſuper lapidum ſtruem, nec vt cæteros defodiunt, quod idem ſcribit Stobæus.

XXXI.

*Lycii.*

Apud Lycios non morem duntaxat, ſed legem etiam fuiſſe accepimus, vt non niſi veſte muliebri lugerent, idque ob eam rem factum, vt cultus deformitate commoti, ſe maturius à mœrore abducerent, cum luctum intelligerent effœminatum eſſe, & mollem, & à viri grauitate dignitateque maxime alienum.

XXXII.

*Thraces.*

Thracum varia ſunt inſtituta, vt variæ quoque eorum gentes.

XXXIII.

*Trauſi.*

Truſi enim qui inter eos connumerantur, vbi in lucem infantes editi ſunt, lugent: vbi quis naturæ conceſſit, læti atque hilares, per iocum læticiamque humare ſoliti ſunt, arbitrati eos ex tot vitæ incommodis liberatos. Stobæus & Cauſanis hoc attribuit. Certe & Heſiodus, qui & ipſe Thrax fuit, natales hominum lugens, vt ille ait, gaudet in funere.

XXXIV.

*Getæ.*

Getæ & ipſi Thraces à pleriſque exiſtimati, vt Hieronymus & Oſorius ſcribunt, idem faciunt à Zamolxi edocti. Fuit verò, vt ſcribit Herodotus, Zamolxis homo Pythagoræ quondam diſcipulus, qui in patriam reuerſus cum animaduerteret, Thraces male viuere & inſcite, eorum ipſe edoctus Ionicum viuendi genus & mores ipſis dedit & leges, docuitque & perſuaſit popularibus eas ſeruantibus, poſt obitum eos ad ſeſe in eum locum ituros, vbi ſuperſtites omnium bonorum compotes eſſent futuri. Per hoc diuinitatis opinionem conſecutus, è Thracum ſe conſpectu abduxit atque euanuit, maximo ſui deſiderio poſt ſe relicto. Ad hunc mittere conſueuere, cum naui quinque remigum, nuncium quempiam, ex ſe ipſis ſorte delectum, præcipientes, ea quibus ipſi tum indigerent, eumq; ita mittentes, eorum quibuſdam negociũ dabatur, vt tria iacula tenerent, aliisq; comprehēſis, eius qui ad Zamolxin mitteretur, manibus pedibusq; hominem agitantes, in ſublime iactarent ad iacula, qui ſi in præſens extingueretur, propitium ſibi DEVM arbitrabantur, ſin minus, ipſum nuncium inſimulabant, aſſeuerantes malum il-

lum illum eſſe virum. Hoc inſimulato alium mittebant, dantes adhuc viuenti mandata. Sed præter hæc pleraque alia de Zamolxi à Strabone traduntur, deq; eius cultu, vt cæteros tum Græcos, tum Latinos, in præſentia ſcriptores præteream.

## XXXIV.

### *Creſtones.*

Creſtones & ipſi Thraciæ populi his ſuperiores id ſepeliendi moris habent, vt quæ vxor magis dilecta à viro ſit, ea mactata cum viro ſepeliatur. Sed optimatum, qui apud Thraces ſunt, Herodotus hanc ſepeliendi conſuetudinem eſſe prodidit. Triduo, inquit, cadauer proferunt, mactatisq; quotidie victimis comeſſantur, mox deflent, tum defuncti corpus crematum terræ mandant, congeſtoq; deſuper tumulo certamina proponunt, ſed ſingulorum tantum hominum, quæ μονομαχίαι dicuntur. Sed de Thracibus in vniuerſum plura Pomponius & Solinus, qui vt ſunt breuitatis ſtudioſi, ita loquuntur. Vna, inquiunt, gens Thraces habitant, aliis, aliisq; præditi & nominibus & moribus. Quidam feri ſunt, & ad mortem paratiſſimi Getæ vtiq; id varia opinio perficit: alii redituras putant animas abeuntium: alii etſi non redeant, non extingui tamen, ſed ad beatiora tranſire: alii emori quidem, ſed id melius eſſe quam viuere. Itaque lugentur apud quoſdam puerperia, natiq; deflentur: funera contra feſta ſunt, & veluti ſacra cantu luſuq; celebrantur. Ne fœminis quidem ſegnis eſt animus ſuper mortuorum corpora interfici, ſimulq; ſepeliri votum eximium habent, & quia plures ſimul ſingulis nuptæ ſunt, cuius id ſit decus apud iudicaturos magno certamine affectant. Moribus datur, eſtq; maxime lætum, cum in hoc contenditur, vincere. Mœrent alii vocibus, & cum acerbiſſimis planctibus efferunt. At quibus conſolari eas animus eſt, arma opesq; ad rogos deferunt, paratiq; vt dictitant cum fato, ſi detur in manus vel paciſci vel decernere, vbi nec pugnæ nec pecuniæ locus ſit, manentq; domi non procis nupturæ. Atque hæc quidem ex Mela magis, quam Solino.

## XXXV.

### *Macedones.*

Macedonibus nullum tam ſolēne munus fuiſſe proditum eſt, quam ſuos ſepelire.

*XXXVI. Gal-*

## XXXVI.
### *Galli.*

Gallorum in ſepeliendis cremandiſque cadaueribus ritus his prope verbis à Cæſare ſexto belli Gallici Commentario refertur: Funera ſunt, inquit, pro cultu Gallorum magnifica & ſumptuoſa, omniaq; quæ viuis cordi fuiſſe arbitrantur in ignem inferunt, etiam animalia, & paulo ſupra hanc memoriam (hoc eſt, ipſius Cæſaris) ſerui ac clientes, quos ab iis dilectos eſſe conſtabat, iuſtis funeribus confectis, vna cremebantur. Et hæc quidem Cæſar. Mirum quidem eſt, quod de iiſdem tradit Pomponius: Æternas, ait, Druidas apud eos animas aſſerere, vitamque eſſe alteram ad manes. Itaque cum mortuos cremant ac defodiunt, acta viuentibus olim negotiorum ratio, etiam & exactio crediti, defertur ad inferos, erantque qui ſe in rogos ſuorum, velut vna victuri libenter immitterent. At vero Maſſiloenſes inter Gallos erudítiſſimi, vtpote à Græcis oriundi, eodem die quo funus eſſet elatum domeſtico ſacrificio adhibito, neceſſariorum ac cognatorum cõuiuio celebrato, luctum finire conſueuere.

## XXXVII.
### *Germani.*

Germanorum vero funera ita deſcribit Cornelius Tacitus, vt illorum nulla eſſet ambitio, id ſolum obſeruarent, vt clarorum virorum corpora certis lignis cremarentur, ſtruem rogi nec veſtibus nec odorib. cumularent, ſua cuiq; arma quorundam igni & equus adiiciebatur, ſepulchrum ceſpes erigebat, monumentorum arduum & peroperoſum honorem & grauem defunctis aſpernabantur, lamenta & lachrymas cito, dolorem & triſtitiam tarde ponebant: fœminis lugere honeſtum. Vtrique vero, hoc eſt, Germani & Galli hac tempeſtate, vt Chriſtiani Chriſtianorum exequiis & ceremoniis mortuos ſepeliunt.

## XXXVIII.
### *Iudæi.*

Iudæorum conſuetudinem eſſe corpora condere potius, quam cremare more Ægyptio, idem Tacitus autor eſt, quod & in Iudæorum ſacris libris manifeſtius conſpicitur: quem morem & hodie ab iis, qui diſperſi ac palantes nullis certis ſedibus vagantur, ſeruari videmus. Condiri vero odoramentis & aromatibus, candidiſque inuolui linteaminibus, cum eorum, tum Euangelica doctrina docet. Magnos autem

adeò ſumptus in ſuis ſepeliendis aliquando feciſſe ſcribit Ioſephus, vt plerique ea cauſa ad inopiam redigerentur. Illud addit D. Hieronymus: Flentes, inquit, vſque hodie Iudæi, nudis pedibus in cinere volutati, ſacco induti, ex ſuperſtitione Phariſæorum, prius cibum lentis accipiunt, ſignantes, quali edulio primogenia perdiderint: & merito, ait Hieronymus, quia reſurrectionem CHRISTI non credentes Antichriſti parantur aduentui. Hoc quidem ille, qui & alio loco, libro ſcilicet in Hieremiam tertio: Mos, inquit, hic fuit apud veteres, & vſque hodie in quibuſdam permanet Iudæorum, vt in luctibus incidant lacertos, & caluitium faciant, quod & Iob feciſſe legimus, manifeſtius Propheta ipſe. Non ſepelientur, ait, neque plangentur, & non ſe incidant, & neque caluitium fiat pro eis, & non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum ſuper patre ſuo & matre, & domum conuiuii non ingredieris vt ſedeas cum eis, & comedas & bibas. Quæ Prophetæ verba morem oſtendunt hæc facta fuiſſe in funeribus. Sepeliri verò in agris, & obſtrui ſepulchrorum oſtia ſaxis & lapidum molibus antiquitus mos fuit. Nunc quidem vt plurimum exilia ſunt, cippo tantum & gleba terræ contenti, vel tegula fictiliue Plintho, vel ſi qui magis marmoreo lapide. Illud vtique Iudæi religioſe antiquitus ſeruarunt, vt nec hoſtem quidem inſepultum dimitterent, ne dum qui patibulo fuiſſet ſuffixus.

## XXXIX.
### *Turcæ.*

